**Disputatio medica inauguralis, de epilepsia / [Johann Georg Macasius].**

**Contributors**

Macasius, Johann Georg, -1653.
Schelhammer, Christoph, 1620-1652.
Universität Jena

**Publication/Creation**

Jenae : E Chalcographeo Lobensteiniano, 1644.

**Persistent URL**

https://wellcomecollection.org/works/yqkabnap

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

18.

D. O. M. A.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

*De*

# EPILEPSIA,

QUAM

*DECRETO ET AUTORITATE*

NOBILISSIMI ET GRATIOSISSIMI COLLEGI MEDICI

in Academia Salana

PRÆSIDE

MAGNIFICO RECTORE

*VIRO*

*Nobiliſſimo, Excellentiſſimo atque Experientiſſimo*

DN. CHRISTOPHORO SCHEL-HAMMERO, Hamburgenſi, Medicinæ Doctore, Anatomiæ, Chirurgiæ atq; Botanices Profeſſore Publ. Horti Medici Præfecto, Facultatis Decano Spectatiſſimo, Dn. Promotore ac Patrono ſuo colendo,

*Pro conſequendis ſummis in ARTE MEDICA HONORIBUS & PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS*

Publicæ disquiſitioni ſubjicit

JOHAN GEORG MACASIUS,

Egranus.

*ad diem 9. Octobr.*

Horis locoque ſolitis.

---

JENÆ,

E Chalcographéo LOBENSTEINIANO.

ANNO cIↄ Iↄc XLIV.

# VIRIS

*Nobiliſſimis, Ampliſſimis, Excellentiſſimis, Experientiſſimis*

DN. JOHANNI MICHAELIS, Phil. & Med. Doctori, & in Academia Lipſienſi Profeſſori Publ. celeberrimo, Facultatis Seniori, minoris Principum Collegii Collegiato, & Illuſtriſſimi Principis Dn. Dn. Friderici Wilhelmi, Ducis Saxoniæ Conſiliario Medico &c.

DN. WERNERO ROLFINCKIO, Phil. & Med. Doctori, per Europam famigeratiſſimo, Practicæ & Chim. in Academia Jenenſi Profeſſori Publ. Celeberrimo, Facultatis Seniori venerando, &c.

DN. JOHANNI REHFELDIO, Med. Doctori Eminentiſſimo, in perantiqua Erphordana Profeſſori Publ. Celeberrimo, ejusdem Reipubl. Conſuli ſpectatiſſimo:

*Dominis Præceptoribus, Patronis ac Promotoribus ſuis filiali obſervantia & honore colendis,*

Hoc exercitium inaugurale in grati animi τεκμήριον & ulterioris favoris incitamentum

*ſubmiſſè offert*

Johan Georg Macaſius,
Autor & Reſpondens.

I. N. J.

VArium & portentoſum morbi genus Epilepſia! ad cujus nomen *Plinius* deſpui ſvetum ſcripſit, terribile ſiquidem in acceſſione, horrendum in vigore, turpe in deſinentia; adeò, ut ſi ſe mutuò in acceſſionibus ſpectantes ægroti, quæcunque patiuntur, cernerent, non ultra vitam ducere vellent. Ab ea homo, omnium animalium potentiſſimus rex, à quo omnia debellari debuerant, tam ſubitò proſternitur, tamque horrenda diſtenſione cõcuſſione atq; tortura, atrociſſimè dilaniatur ac diſperditur cum magno aſtantiũ pavore & timore. Præcipuũ enim ejus propugnaculum, ac fortiſſimam arcem, cerebrum nempe, rationis & animæ ſummam ſedem, invadere audet, hacque obſidione & incautis inſultibus prorſus æquat ea ſolo, ac extremam ruinam ſenſibus noſtris tum internis, tum externis, nec non ipſis ſpiritibus, vitæ noſtræ aſſertoribus, intentat & minatur. Abſtruſa autem eſt ejus natura, ægreque ſe cognoſcendam præbet; lis quidem eſt perpetua, æquus autem judex inventus adhinc nullus: unde *Averrhoës* omnes de hoc morbo diſceptationes fabulis cantantium aut muſicorum dixit eſſe proximas. *Crato* etiam celeberrimus medicus veram mali epileptici ante vitæ exitum dignotionem exoptat *epiſt. 137. Scholtzij.*

Sed cum hoſtis ingenio ipſius incognito & ſpreto potiſſimas exerat vires, ideò, ut inſultus ejus manifeſtos & machinationes clandeſtinas devitemus, naturam ejus quantum ex arte licet, ex fontibus Dogmaticis & Hermeticis expiſcari, quaque ratione aggreſſiones ejus præſentes elidi, futuræ verò devitari queant, theſibus hiſce inauguralibus tradere conabimur. Tu verò

O noſtris quæſo Deus annue cœptis.

Ut autem πολύμορφόν τι eſt epilepſia, quam alii ab ἐπιλαμβάνειν, quod cerebrum & partes ſubjectas ita apprehendat, ut functiones illarum intercipiat *Cœlius Aurelian l.2.ac.c.4.* alii ab ἐπιλείπειν derivant, ita etiam varia tum apud Dogmaticos, tum apud Hermeticos ſibi acquiſivit nomina, partim à ſymptomatibus, partim à loco, cauſis, ſubjecto deprompta. *Hipp.* dicitur morbus ſacer communiter loquendo *l.de morb.ſacr.*(quanquam hanc nominis notationem *l.d.* refutet) vel ob magnitudinem, vel ob curæ difficultatem, vel ob cauſæ ſublimitatem, vel ob partem obſeſſam *Aretæus de cauſ. & ſig. diut. morb.l.1.c.4.* pulchrè de hac nominis notatione diſſerit *Langius l.1. epiſt.25.* Morbus item puerilis *l. de aër. loc. & aq.* fulgor puerilis *6. Epid. ſ.1.t.5.* νόσος etiam μεγάλη. *Ariſtoteli probl.1.ſ.30.* vocatur morbus Herculeus, ſive, ut ipſe vult, quod Hercules tanquam melancholicus ea laboraverit, ſive ſecundum *Gal.6. Epid.com.6.t.7.* quod ſit δυσκαταμάχητον *Cœlio* dicitur lunaticus. A Latinis ſc. *Celſo l.3.c.23.* vocatur major morbus, Comitialis, quod in Comitiis frequentiſſimè manifeſtetur, & quod hujus cauſa antiquitus differebantur *Q. Serenus*; undè etiam *Plinio, Caſſio, Gellio l.1.c.20.* Sonticus dicitur, *Apulejo* divinus, aliis caducus. *Avicennæ* puerorum matrem appellari placuit. Germanico idiomate venit das Freſel/ſchwere Noht/ Gebrechen/ fallende Sucht.

*Paracelſus*, qui morbis remediorum nomina plerunque accommodavit, vocat morbum ♀latum, viridellum *t.1.p.72.* caducum *l.de cad.* morbum ſideratum *Quercet. in tetrad.p.158.*

Sumitur vox caduci vel generaliter *l.3.paragr. c.1. §. 2. & 3. t.4. l.de cad. t.5. p.239.* pro vertigine, tremore, ecſtaſi, ſyncope, matricis ſuffocatione, tetano, oris tortura, incurvatione ſpinæ dorſi, jectigatione &c. vel ſpecialiter pro epilepſia propriè dicta *à Paracelſ. d.l. Severin.id.med. c.14. Scheuneman. med. reſ.c.3 Quercet. in tetrad.*

Eſt

Eſt autem Epilepſia (*ſecundum Dogmaticos*) motus convulſivus interpolatus totius corporis, cum ſenſuum principumque facultatum detentione, dependens ab inſigni irritatione principii nervorum & membranarum cerebri.

GENUS eſt motus convulſivus, ſymptoma in motu depravato *Gal. 3. loc. aff.* 7. hunc præ detentione facultatum principũ elegimus. Quæcunque enim facultatum animalium primò afficitur, ejus etiam ſymptoma generis loco ponendum; jam verò facultati motrici hoc accidit.

Epilepſia (*ſecundum Hermeticos*) eſt morbus ſpiritualis, ortus à vapore ☿ali, maligno, mordicante, pungente, acido, membranas cerebri & nervoſum genus conſtringente, vellicante, ſpiritusque turbante, cum ſenſuum & rationis interceptione.

GENUS eſt morbus ſpiritualis, quod docent cauſa ejus ſubtiliſſima, generationis modus ſpiritualis, penetratio validiſſima, qua ſæpe ex improviſo, momento qſ. adoritur, nec non curationis ipſius momento *Petr. diſſ. harmon. l. 1. diſſ. 6*

Nam quando cauſa epileptica cerebro communicatur, membranas & nervorum principium vellicat & moleſtat. Hinc facultas expultrix inſurgit ad expulſionem moleſti, undè dilatat ſe cerebrum & magna deindè vi conſtringit. Quia autem ex ſe ſufficiens non eſt ad noxii depulſionem, facultatem motricem in conſenſum trahit, quæ laceſſita totum genus nervoſum in expulſionem movet. Interim dum ita conſtringitur cerebrum, ſpiritus variis modis turbantur. Cum autem ad functiones principes non ſolum ſpirituum præſentia, ſed & in motu legitima diſpoſitio requiratur, cum ſola quies ſecundum *Hipp l. de morb. ſacr.* cerebrum ſapere faciat, prudentiam ſubminiſtret & intelligentiam cauſet, illo læſo, has etiam lædi neceſſe eſt; hæc tamen læſio ſaltem ſecundariò & ob ſpirituum vehementem ταραχὴν accidit. Imò dantur etiam epilepſiæ ſpuriæ, in quibus tamen nec internorum nec externorum ſenſuũ manifeſtæ læſiones apparent, motus verò convulſivi utpl. adſunt *Valleſ. l. 5. contr. 16.* id quod nuperrimè in fœmina quadam Cygnea ob-

 ſer-

ſervavi, quæ illas convulſiones etiam aliquo modo ſenſit.
Ex eadem cauſa ſenſuum etiam abolitio deduci poteſt; nam, ut ſenſio fiat, duobus opus eſt, alteratione ſcil. inſtrumenti & alterationis perceptione & dijudicatione; at hic ſenſus communis præpeditus eſt, & alterationem in inſtrumento factam non percipit, ſpiritus enim eſt veluti attonitus, quare nō imaginari, non ratiocinari, non meminiſſe poteſt. Hoc evenit etiam in intenſioribus animi cogitationibus; nec enim videmus, nec audimus, apertis etiam oculis & auribus, ſenſibilium tamen oblatio & inſtrumentorum alteratio non accuſanda. Dicimus autem motum convulſivum, vera enim convulſio non eſt, nam motus eſt interpolatus & cum functionum principum & minus principum vitio conjunctus, quod alienum â vera convulſione; interim in hoc conveniunt, quod uterq; à facultate motrice laceſſita proficiſcatur; ſibi ſoli enim relicta non niſi προαιρέτως movet

SUBJECTUM primarium πρῶτον δεκτικὸν eſt cerebrum 3. *loc. aff.* 7. adæquatum vero & denominationis totum corpus. Nam cum actiones animales in omni epilepſia, modò ſit legitima & exquiſita, præ vitalibus & naturalibus maximè laborent, (quod patet ex totius corporis concuſſione & ſenſuum læſione) organum etiam ipſorum præ reliquis affici demonſtrant. Cor quidē in conſensū nonnunquā trahitur, quod palpitationes, animi deliquia, pulſuū perverſiones &c. demonſtrant indè tamen cùm *Quercet. in tetrad.* pro parte primariò affecta non obtrudendum; nam & ſic in hypochondriaca, cardialgia, uteri ſuffocatione &c. in quibus maximè laborat cor, pars primariò affecta eſſet. Quid quod etiā pluribus in ipſo paroxyſmo ventriculus ſubvertatur, ſemen profluat, excrementa dejiciantur, pro primario tamen ſubjecto illæ partes hinc habendæ non ſunt. Et licet multæ dentur epilepſiæ, citra ullam imaginationis, phantaſiæ aut memoriæ læſionem, ſalvis

SUBJECTUM primarium eſt caput *Paracelſ l. 3. paragr. c.* 1 *§. 1.* principium n. paroxyſmi eſt in capite: & niſi cerebro affecto nunquā paroxyſmat epilepſia *id. t. 4. tr. 1. de morb. ament.*

etiam

etiam viſu & auditu , tamen evenit hoc ſaltem in ſpuriis, in quibus vis non eſt tanta, ut etiam facultates principes & ſenſus lædat, ſufficit, ſi aliquales ſaltem convulſiones excitet, quarum certè cor non eſt autor quia nec motus animales ſecundum naturam imperat. Quod autem una afficitur cor, fit, vel quod materia peccans à cerebro expulſa cordi etiam communicetur, vel quod ob reſpirationem impeditam fuligines & ſangvis collectus cor anguſtent, vel quod mali fomes & cauſa antecedens in corde lateat ex obſ. *Donat. Marcel. l. 2. hiſt. med. mirab. c. 4.* vel quod vapores maligni verſus caput tendentes cor in tranſitu lædant *Holler. l. 1. de morb. intern. c. 15. in Schol.* Afficitur autem cerebrum primariò non ſecundum medullarem ejus ſubſtantiam *4. loc. aff. 2.* nec ut ventriculis diſtinctum, ſed ſecundum membranam tenuem per totam cerebri amplitudinem, ventriculorum parietes & baſin cerebri extenſam. Eatenus enim exquiſitiſſimi eſt ſenſus, adeò ut vel ad auram moleſtam inſurgat, & ſternutamentum cieat; per accidens quidem ſubſtantia etiam ſecundum poros ex conſtrictione læditur.

CAUSA PROXIMA & immediata eſt irritatio facultatis expultricis membranarum cerebri & principii nervorum. Magna quidem de hac cauſa eſt controverſia, diſſentientesque opiniones *Hipp. l. de morb. ſac.* ſangvinis refrigerationem & motum ejus in venis impeditum, aërisque receptionem denegatam, à pituita in utero collecta, liquata & venis ex capite infuſa cauſatam, proximam cauſam ſtatuit *lib.* verò de *flat.* obſtructiones venarum partiales à craſſo flatu accuſat.

CAUSA PROXIMA eſt vellicatio & conſtrictio membranarum cerebri. Cùm enim in meningum genere, quæ exquiſitiſſimi ſenſus ſunt partes in cerebro, acrimonia, malignitate & virulentia eæ partes erodi compungi & acriter tendi ſentiunt, fit, ut inopino inſultu violentoq; cerebrum cum cauſa morbifica confligat ac colluctetur, hacque ratione ſeſe contrahat, ac veluti in ſua arma colligat, ut à vellicantis materiæ offenſione ſeſe tueatur, undè ſpaſmi

Ga-

& cõvulſivi motus excitátur *Querc. in tetrad.* Quia v. vapores & ſpiritus ☿ales hinc inde velut in magna tempeſtate venti & nubes feruntur, reliquis ſpiritibus commiſcétur eosque turbant *Pet. Joh. Faber in myrothec. ſpag. c. 30.* principum facultatum & ſenſuum functiones etiam læduntur.

Galenus vero ad partialem ventriculorum cerebri à craſſo humore factam obſtructionem recurrit, ob quam animalis ſpiritus nequit in nervos influere, undè natura impedita, arctius oppreſſa, nondum tamen proſtrata onus qſ. excutiens, caput corpusque vehementer concutit, dum ſoluta obſtructione infarctum humorem excutiat, hinc apoplexiam & epilepſiam cognatos affectus facit *2. aph. 45.* utpote qui eundem locum occupant, & eundem humoré habent mali cauſam, differunt ſaltem ſecundum magis vel minus. Verum an ſola perfrigeratio ſangvinis, ejus motus aëriſque receptio impedita epilepſiam poſſit inducere, dubitamus! Et ſi ſola pituita eſſet cauſa, qui fit, quod bilioſi quoque ea corripiantur, ex ira etiam, odoribus, inedia &c in eam incidant. Obſtructio autem locum habere nequit: Oporteret enim motum in univerſum prohiberi vel imminui, quantitate ſpirituum, qui tranſeunt, non ſufficiente ad partes inferiores movendas; obſtructio enim ut obſtructio tantum valet alicujus ſubſtantiæ aut facultatis diſtributionem lædere aut impedire. Sed vehementior, quàm ante, apparet concuſſio & motus inæqualitas. Et quomodo tanta humoris frigidi copia poteſt colligi, ut uno momento obſtruat ventriculos, præſertim ſeparatos per corpus calloſum, & in diviſo cerebro locatos, ut de uno in alium motus ſit difficilis? Et certè cum apoplexia & epilepſia ad diverſas motus læſi ſpecies pertineant, ſpecie etiam diverſas cauſas obtinebunt. Sternutatio autem ſingultus & epilepſia cognati affectus ſunt *3. loc. aff.* 7. undè etiam *Avicen.* ſternutationem parvam epilepſiam vocat; at ſternutatio non oritur à viſcidis humoribus obſtruentibus, ſed acrem potius vaporem anteriora cerebri vellicantem emittentibus, unde natura moleſtum excuſſura hunc motum

ciet:

ciet : ſic & veriſimile epilepſiam à ſimili cauſa ſc. vellicatione potius membranarum cerebri & principii nervorum, quàm ventriculorum obſtructione excitari. Quid quod epilepſia ſæpius naſcatur συμπαθητικῶς ex aura frigida ſaltem aſcendente *Gal. 3. loc. aff. 7.* ex aêre etiam & vento concepto *Rondelet. l. 1. cur. morb. c. 36.* ex vapore, cujus cauſa multi interierunt *Fernel.* abſceſſu cerebri aut meninge corrupta mephytin olente *id. 5. de part. morb. & ſympt. 3. 2. de abd. rer. cauſ. 15.* ex ira, inedia *Gal. 5. loc. aff. 6.* in quibus tamen talis obſtructio ventriculorum cerebri non accuſanda. Tota autem de obſtructione partiali ſententia falſa nititur hypotheſi. Galenus enim in ea fuit opinione, ventriculos & pro ſpirituum generatione & pro eorum conſervatione conſtructos eſſe, ut videre eſt ex *l. 7. de plac. c. 3. l. 3. loc. aff. 5.* Hinc illis obſtructis ſpirituum in nervos διάδωσιν impediri, & ſic motum animalem vel prorſus aufferri, ut in apoplexia, vel imminui, ut in epilepſia. Verùm longè aliud ventriculorum ſtructura & ſpirituum natura nos docet. Excrementorum enim potius, quàm ſpirituum ſunt receptacula, unde naturaliter aqua & pituita in ventriculis hæret *Clariſſ. Slegelius, Præceptor quondam noſter honorandus in demonſtratione anatom.* Cum enim caput in ſuprema corporis noſtri parte locatum velut tectum domus calidæ ex *Gal. 9. uſ. part. 1.* ex inferioribus partibus aſcendentes vapores recipiat, quos præ imbecillitate coquere & diſcutere nequit : ex ſangvine etiam in cerebro tum pro nutritione, tum pro ſpirituum animalium generatione ulterius elaborato excrementa ſeparentur, locus aliquis pro horum collectione erit concedendus ; nam ubi natura communem coctionis officinam inſtituit, receptaculum excrementorum propè appoſuit ; Hic autem commodiſſimus erunt dicti ventriculi ; unde infundibulum etiam adjecit ſagax natura, ut in palatum, os ac nares omne alienum in cerebro humidum deſcenderet. Hanc ſententiam confirmant etiam ſectiones ; plurimorum enim ventriculi excrementitio humore penitus repleti inventi fuerunt, ut in hydrocephalis, indè tamen neque epilepſia neque apople-

xia inducta *Veſal. human. corp. fabr. l. 1. c. 5. Gvilh. Fabric. cent. 1. obſ. 12.* Contra verò epileptici poſt mortem ſecti nullam obſtructionis notam monſtrarunt. Quomodo autem hæc cauſa proxima ſc. irritatio & vellicatio, motum convulſivum excitet, explicatu difficillimum: ſed dicamus, quantum in hac rerum caligine aſſequi licet. Cum materia epileptica ad membranas & nervorum principium transmittitur, tanquam partes maximè ſenſiles pro innata potentia eas vellicat & moleſtat. Hinc vis expultrix excitata inſurgit, ut noxam à ſe depellat, cerebrum dilatat atque comprimit, atque iſta compreſſione, quod ſibi moleſtum, excutere conatur, quemadmodum etiam in ſternutatione, quæ ideò *Avicennæ* parva epilepſia dicitur & ſingultu agere conſvevit. Verum quia ad hujus noxæ depulſionem ſufficiens non eſt, animalem etiam in conſenſum trahit, idque magis, quod ipſum etiam principium facultatum laboret, quæ moleſtata ob irritationis vehementiam, totius animalis ſalutem, & eam, quæ eſt in toto corpore, ſympathiam partium & actionum, obſequi cogitur, & hunc motum coacta ſeu permittit ſeu imperat, quem non coacta nec permiſiſſet nec imperaſſet, ſibi ſoli enim relicta non niſi προαιρέτως movet. Quia autem principium nervorum patitur, τὰ πεφυκότα etiam, nervi ſcil. & muſculi in conſenſum trahuntur, qui omnibus viribus allaborant, ut noxa cerebri depellatur, non quia ipſi à cauſa morbifica ſemper obſeſſi, ſed quia principium nervorum patitur *Carol. Piſo tr. de colluv. ſeroſ. obſ. 24. p. 107.* Conſenſum hunc videmus etiam in ſternutatione; ex levi enim partis anterioris cerebri irritatione muſculi thoracis in conſenſum trahuntur, & ad expellendum inſurgunt; ex puncto etiam nervo totum aliquando convellitur. Motum autem hunc fieri cooperante facultate animali, patet; nam illa contractio & extenſio muſculorum eſt actio propria, muſculi autem ſunt organa facultatis animalis; à cauſa morbifica non fit illa contractio & extenſio, nam morbus & anima eundem motum non producunt. Interim tamen læſam eſſe omninò concedendum eſt. Sed dices: morbum hunc ex irritatione

non

non poſſe provenire, quia periit ſenſus tactus, & hinc appetitus ſalutare proſequendi & noxium fugiendi. Verum utut ſit de tactu, cujus veſtigia, licet ſub ratione confuſa, remanere ſtatuo, irritationem tamen cauſam eſſe poſſe puto. Nam ad illam percipiendam non ſemper facultas animalis requiritur, ſed ſufficit naturalis. Nam undè quæſo ſingultus, ab animali ne an naturali facultate irritata? Dolorem & moleſtiam rei vellicantis non ſentimus, interim motum præternaturalem expultricis obſervamus. Sic humores viticiſos in criſi ſeparatos, aut à purgante medicamento attractos natura tanquam noxios expellit, procul dubio ante laceſſita, quod ſymptomata criſin antecedentia demonſtrant, indè tamen appetitum animalem excitatum fuiſſe nemo dixerit. Proindè etiam in epilepſia irritationem poſſe conſiſtere, ſenſu licet ablato, putamus: motum autem convulſivum inſequentem facultatis motricis eſſe opus ſtatuimus. Nec tamen abſonum videtur, inferiorum motum convulſivum ex propria nervorum & muſculorum paſſione deducere. In illa enim cerebri contractione, quæ in infantibus tactu etiam deprehenſa, materia vaporoſa aut ſubſtantia immaterialis, ad nervos & indè muſculorum principia detruditur. Undè etiam diutius durat paroxyſmus, ſi motus convulſivus omninò inhibetur, cauſa enim peccans non poteſt diſſipari. Hinc muſculi etiam laceſſiti inſurgunt, & ad ſuum principium retrahuntur. Quia tamen materia illa eſt vaporoſa aut admodum tenuis & facilè discutitur, contractio illa eſt ſaltem momentanea & ob tam extendentes, quàm contrahentes muſculos affectos fit in utramque ſitus differentiam.

CAUSA CONTINENS eſt ſubſtantia acris & peculiari vi cerebro infeſta membranasque cerebri & genus nervoſum vellicans. Craſſa autem an tenuis ſit dubitant. Craſſam vult *Hip. l. de morb. ſacr. Gal. 3. aff. loc. 5. 2. ſympt.*

CAUSA CONTINENS eſt vapor ☿alis, malignis & virulentis qualitatibus ſtipatus. Per ☿ autem hîc intelligimus partem maximè volatilem, penetrabilem cujuscunque rei, quæ proportione tertio principio hypoſtatico

*cauſ. 7.3.m.m.2. l. de atr. bil.5. 2. aph. 45. Æginet. l.3. c.13.* & alii. Verum cum citò fiat, citoq; ſolvatur, nullo relicto ſui veſtigio, nec inſigni evacuatione ſubſequente, etiam ſi centies una die paroxyſmũ excitet, evidens etiam damnum ex translata ad partes materia non oriatur, tenuis potius, quam craſſa erit ſtatuenda; hoc ſignum enim materiæ tenuis ipſe *Gal.* ponit *l. de trem. & palp. c.5.* Accedit, quod ſæpiſſimè oriatur ob victum tenuem, vaporoſum, vinum fumoſum *Holler. l.1. morb. inter. c. 15.* bilem, undè multis etiam ſolvitur morbus per vomitum bilioſum *id. in ſchol. ad c. 16.* ab aëre, vaporibus & odoribus pravis, ut ſuffitu ſuccini, galbani, cornu capræ, hepatis hirci, ellychnii extincti &c. in quibus tamen nulla craſſities accuſanda. Clariſſimè hoc probant epilepſiæ per ſympathiam, quæ etiam frequentiſſimæ; in illis enim veluti auram frigidam aſcendere ægroti ſentiunt, quod tamen humori craſſo competere nequit, motus enim ſurſum eſt ipſi p. n. Igitur πνευματικὴ potius τὶς ὀυσία, ὥσπερ αὖρα, quæ mole minima virtute verò maxima ſit, cum *Pelope*, aut tenuis humor, quàm craſſus cauſa epilepſiæ ſtatuenda. In idiopathica tamen major aliquomodo craſſities, quàm in ſympathica concedi poteſt. Acredini autem & mordacitati hujus materiæ maligna quoque proprietas, membranis cerebri & nervoſo generi peculiariter infeſta, quæ veneni inſtar perpetuas qſ. inimi-

reſpondet, & ſecundum mineræ ſuæ ideam variis & diverſis ſignaturis ſe prodit, undè modò conſtringit, ſtupefacit, modò vellicat, mordet & alia efficit, prout ſc. ex minera ſalina, ſulphurea aut mercuriali elevatur *Paracels. t. 4. p. 253.* Interim tamen principium mercuriale in hoc præpolleat neceſſe eſt, alias non eſſet vapor ☿alis, ſed vel ⊖inus vel 🜍eus: impreſſas tamen reliquorum tincturas habere poteſt, prout etiam in ⊖ 🜍eo 🜍, in mercuriali vero mercur. ſe prodit. Hinc etiam rectè *Paracels.* quot ſpecies mercurii, tot etiam ſpecies morbi caduci ſeu differentiæ. *Paracels. t.3. l.3. paragr. c. 2. §.3. t. 5. p. 213. Severin. id. med. p. 315. Scheunem. med. ref. c.3.*

ci-

citias nervoſo generi juravit, conjuncta ſit, neceſſe eſt, *Fern. l.5.part. morb. & ſympt.3. 2. abd. rec. cauſ.15.* qualem ipſe *Gal.* in uteri ſtrangulatiu ex menſtruo & ſemine corrupto orto, concedit *l. 6. loc. aff.* Nam multi dantur morbi, in quibus acres humores & indè exhalantes vapores acres(quod ex ſubſequenti cephalalgia patet) caput petunt, ut ſunt lues ♀, febres ardentes, phrenitis, meningum corruptiones, quibus tamen epilepſia non conjungitur. Videatur *Cl. Sennertus l. 1. pract. part. 2. c. 31. q. 3. Marcell. Donat. l. 2. hiſt. med. mir. c. 4.*

CAUSÆ ANTECEDENTES ſunt omnia, quæcunque ſpecifica illa corruptione ſunt infecta & materiam acrem, malignam, cerebroque adverſam ſuppeditare poſſunt, ſive ſint partes continentes, ut cranium corruptū & carioſum, meninx corrupta calvæ adhærens, abſceſ-

CAUSÆ ANTECEDENTES ſunt radices & mineræ epilepticæ in corpore latitantes, quæ ſecundum digeſtionum ſuarum tempora tales vapores emittere & fructus producere valent, & ſunt humores ♀rei, mucilaginoſi, æruginoſi, ⊖lati arſenicales, alũinoſi, armõiaci ☿ales, &c.

ſus cerebri *Fern. l 5. de part. morb. & ſympt. 3.* ſive contentæ, ſc. humores quilibet, ſangvis, ſive intra ſive extra venas contineatur *Gal. 4. ac. t. 27. Avic. fen. 1. 3. tr. 5. c. 8. Zacut. Luſitanus l. 1. hiſt. 26.* pituita, *Gal. l. c.* melancholia *Foreſt. lib. 10. obſ. 62.* bilis *Coſtæus*, atra bilis, humores ſeroſi, ut urina reſtagnans *Heur. de aff. capit. c. 22.* ſemen corruptum in utroq; ſexu *Zac. Luſ. l. 1. hiſt. 19.* aut humor ſemini analogus, qui corruptus veneni naturam induit *Riolan. antropogr. l. 2. c. 34.* vidit enim duabus in virginibus teſtes pugno grandiores ſemine putrido turgentes, ſangvis menſtruus *Hip. l. 3. Coac. t. 12.* ſanies in ulceribus, *Fernel. in conſil. pro epil.* fœtus mortuus, *Schenkius obſ. 183. l. 1.* vermes *Quercet. pharmac. dogm. reſt. cap 7.* chylus corruptus *Heurn. de capit. morb. c. 22.* &c.

CAUSÆ REMOTÆ ſunt quæ ad antecedentium & mediatarum generationem, vel

CAUSÆ REMOTÆ ſunt omnia illa, quæcunque per corruptionem eam naturam

motionem, vel faciliorem ſuſceptionem faciunt, & ſunt tum internæ, tum externæ: referri autem poſſunt ad res naturales, non naturales & præternaturales.

induere poſſunt, ut in ærugiſoſum quoddam, ⊖latū aut aliud prædictum virus degenerent, aut quæ ſua natura talem ſuccum ſuppeditant, aut ad corruptionem illam inducendam faciunt.

NATURALES ſunt conceptio aut nativitas ſilente luna aut in Eclipſi lunari ſecundum Aſtrologos videatur *Ptolomæus*, aut fluentibus menſibus *Holler. de morb. inter. c. 15.* ætas puerilis *3. aph. 25.* juvenilis *aph. 29.* oris ventriculi aut cerebri naturalis ἀναιϑησία, cerebrum debile, membranarum ejus textura nimis rara.

NON NATURALES, & ſunt ea quæ ASSUMUNTUR, ut aër craſſus ex aſſiduis imbribus *3. aph. 16.* cibi corrupti, excrementitii aut peculiari qualitate epileptici, ut carnes hædinæ, hepar hircinum & caprinum, coturnices, paſſeres, angvillæ, *Faventinus*, tubera, fungi, allium, porrum, ex cujus aſſiduo uſu concitatam, & ejus abſtinentia ſublatam vidit Epilepſiam *Dovynetus l. 3. apolog. c. 2.* lentes *Jul. Alexand. l. 8. ſalubr. c. 7.* fructuum horariorum eſus, lactis nimia ingurgitatio *Hildesheim. in ſpicileg. p. 599.* lac nutricis ira, terrore &c. corruptum, nimia vini generoſi ingurgitatio, medicamenta purgantia fortiora *5. aph. 1.* Odores rerum fœtidarū, bitumis, picis, gagatis *Mercurial. de morb. cap.* Cornuum, hepatis caprini aſſati, apii *Avicen. l. 3. fen. 1. tr. 5. c. 11. Arnold. de villa nova l. 1. c. 2. Tral. l. 1. c. 15. Plin. l. 20. c. 11.* 🜍, ☿ ſubl. &c. Huc referri etiam poteſt inedia *Gal. 5. loc. aff. 6.*

QUÆ GERUNTUR ut vehementior exercitatio, præſertim à cibo, otium *5. ſan. tuend. 6.* ſomnus poſt cibum copioſum, evigilatio repentina *Capivac. l. 1. pract. c. 16.* nimius ♀ uſus, ſubita animi conſternatio ex decollatione *Weinrich. l. de monſt. c. 15.* epileptico cadente *Plater. l. 1. obſ.* ira *5. loc. aff. 6.* terror ex inopinata aquæ affuſione *Hechſtetter. obſ. 8. dec. 4.* ex tubarum ſonitu *Foreſt. l. 10. obſ. 54. in Schol.* ex fabellarum

rum & figmentorũ enarratione *Mercurial. l. 2. de morb. puer. c. 3.* hinc rectè *Plato* tales terrores prohibuit *l. 2. de Repub.* ob nuncium triſte *Amat. Luſ. cent. 2. cur. 90. Montan. conſ. 50.* intenſior animi cogitatio; *Plater. l. 1. obſ.* ſic *Jul. Cæſar* cogitabundus ſæpius hoc malo laboravit, titillatio, geſtatio fœtus in utero *Fernel. l. 5. pathol. c. 3. Jacchin. in 9. Raſ. c. 14.*

QUÆ RETINENTUR & EXCERNUNTUR: excrementa alvi retenta, urina retenta *Heurn l. c.* ſangvis menſtruus retentus *Hip. ſ. 3. Coac. t. 12.* hæmorrhoides ſuppreſſæ &c.

QUÆ EXTRA ADHIBENTUR, ambiunt & incidunt, calor ☉, radii ☽ res, tempus vernum *3. aph. 20.* autumnale *aph. 22.* balneum *Gabelkoffer. cent. 4. cur. 59.* medicamenti venenoſi applicatio *Foreſt. l. 10. obſ. 54. in ſchol.* corium caprinum crudum corpori appoſitum &c.

PRÆTERNATURALES ſunt vel adventitiæ vel innatæ: adventitiæ ſunt intemperies cerebri, calidi innati debilitas *Capivac.* capitis ictus *Langius l. 1. c. 10.* vulnera, *Valeſc. de Taranta*, corruptiones & putredines meningum, quod obſervavi in tinctore quodam cygneo, abſceſſus, inflammationes cerebri *Fernel. 2. abd. rer. cauſ. 15.* caries cranii *Foreſt. l. 10. obſ. 67. in ſchol.* ulcus cacoëthes, détitionis dolores in infantibus, febres humores fundentes *Jacchin. in 9. Raſis c. 14.* Cruditates ib. prava viſcerum conſtitutio, ob quam corpus fit cacochymicum *Fernel. in conſ. pro epilept.* & continuo mali fonti nova materia ſupeditatur. Iſchuria, *Hechſtetter. decade 5. caſ. 10.* menſtruorum obſtructiones *Hipp. 3. Coac. t. 12.* punctura ſcorpii, contagium teſte *Bertino l. 12. ſuæ med. c. 3.* unde rus ablegabant antiqui ſuos epilepticos, ne familiam inficerent *Apulejus 1. apolog.* venenum aſſumtum *Gorrhæus in defin. med.* Innatæ ſunt vel hæreditariæ, vel ſimpliciter congenitæ: hæ proveniunt vel à nutrimento vitioſo fœtus, vel ex errore formatricis, ut quando uterus relictus imperforatus, ex qua poſtmodum epilepſia orta *Gvilh. Fabric. cent. 3. obſ. 60.* vel quando ex terrore matris diſpoſitio epileptica fœtui imprimitur. Illæ ſunt diſpoſitiones epilepticæ à parentibus mediante ſemine & ſangvine in liberos jure hæreditario derivatæ, non

ali-

aliter ac ſæpiuſculè parentum ſpecies & individuales ſecundùm naturam proprietates ſimiles unà cum ſemine in liberos transfunduntur.

Quomodo autem hæc mala in filios deriventur, admodum obſcurum; neque enim ratione animæ, neque ratione corporis ſeminalis hæc propagatio videtur concedenda; non animæ, quia ex ſe eſt impatibilis, nec ullis morbis obnoxia, & in anima idea corporis ſimpliciter conſiderati, non morboſi hæret; non corporis, quia corpus generatur ex ſemine & ſangvine in teſtibus & utero elaboratis, quomodo igitur vitium, quod in capite hæret, propagabitur cum ſemine in vaſis ſpermaticis formato, niſi ſtatuamus, ſemen ex toto & ſingulis partibus decidi, quod tamen abſurdum. Verum, ut prætercam, quod ejusmodi *μιάσματα* ſeſe multiplicandi vim habeant, ſi ſangvinis motum obſervemus, facilè ex hac difficultate nos extricare poterimus. Nam cum ſangvis per ſingulas corporis partes fluat refluatque, non mirum, ſi in tranſitu hujus vel illius partis prava diatheſi afficiatur, & *νοσώδεις διαθέσεις* ſecum aufferat. Quia autem ſangvis hic, qui jam erat in capite, mox lege circulationis poteſt pervenire ad partes inferas, & ſic etiam ad teſtes derivari, & in ſemen elaborari, una etiam in ſemine manebunt morboſa hæc ſeminaria; nam tales formæ ſubordinatæ à principali non expelluntur, utpote ſibi non contrariæ. Dices: illa particula ſeminis, ſi totum non ſit infectum, quæ in ſe morboſum principium continet, eſt indifferens ad poſitionem in formatione fœtus, ita ut vel manus vel pes, vel oculus, vel aliud quid ex illa poſſit generari, quomodo E. ab epileptico poteſt generari epilepticus, ſi particula ſeminis epilepticum principium continens non in caput, ſed vel in pedem vel aliud membrũ eſt formata? Sed ſcias: quando tale principium in aliquod membrum eſt ingeneratum, tunc à forma ſuperiore coercetur, ne illius potentia traducatur in actum, & tunc quietum manens in corpore ejus exiſtentia non percipitur; interim tamen nec hoc omninò otioſum eſt, ſed ſe ipſum conſervare, & per ſuam ſpeciem ſe evolvere ſtudet, donec tandem dige-

ſtio-

ſtione ſua abſoluta calore nativo vel debilitato, vel alia cauſa accedente, quæ ſuperiorem, à qua coërcebatur, infringit, ipſum jam liberum & ad ſuam maturitatem perductum, ſeipſum evolvat, & juxta ſui ideam effectum prioris ſignaturis inſignitum producat. Quod autem particula prius in capite, poſtea vero in pede v. g. exiſtens, eundem producat morbum, cauſa eſt propria eſſentia, quæ non hoc, ſed illud membrum reſpicit, quod ex venenorum varietate videre eſt. Nam cauſa epileptica in pede exiſtens non poteſt producere epilepſiam, niſi capiti communicetur, quia aliàs non poteſt fieri motus convulſivus totius, niſi affecto principio motus. Nec etiam alium producit morbum in pede, quia nervorum principium afficere natum eſt, non aliud membrum; & ſi evolveretur in pede, nec tamen capiti communicaretur, non fieret epilepſia, ſed levis quidam convulſivus motus partis determinatæ.

Ad DIFFERENTIAS accedimus: variæ autem eæ ſunt; præcipuè tamen ſumuntur à genere, ſubjecto & cauſis:

1. Ratione GENERIS alia eſt ſimplex, alia compoſita; ſimplex, quæ nullo alio morbo comitatur: compoſita, quæ cum alio affectu v. g. melancholia, *Horſt. l. 2. obſ. 8.* ſyncope, ſuffocatione uterina *Foreſt. l. 10. obſ. 30.* eſt conjuncta. Utraque autem eſt vel exquiſita vel ſpuria: exquiſita, quæ eſt univerſalis, & cum principum facultatum abolitione vel magna imminutione, quam ſupra definivimus. Spuria, quæ eſt particularis, qua non totum corpus convellitur, nec æger concidit, ſed qua aliquæ ſaltem partes convelluntur, & vel caput tantum concutitur *Holler. l. 1. morb. intern. c. 16. in ſchol.* vel oculi contorquentur, vel manus *Cæſalpin. l. 5. art. med. c. 29.* & pedes hinc indè jactantur, vel manus clauſæ tenētur *Dodonæus c. 97. obſ. med. in ſchol.* vel æger in chyrum agitur *Eraſt. in anatom. comit. Mont. part. 2. pag. 195.* aut hinc indè diſcurrit, ſtat *Beniven. de abd. rer. cauſ. 97.* ſedet *ib.* nec concidit *Marcell. Donat. l. 2. hiſt. med. mir. c. 4.* nihil interim loquitur, audit, ſentit *ib.* vel exigua aut planè nulla facultatum principum læſio adeſt, recordatur quæ acta ſunt *Brunn. conſ. 14.* quæ

 ali-

aliquando vertigini eſt finitima *Fernel. 5. de part. morb. & ſympt. c. 3.* Alia eſt gravior, alia mitior, pro ſymptomatum ratione: alia recens, alia inveterata: alia periodica, quæ certam habet periodum, ut illius ancillæ à Frawenpriſsnitz/ quæ ante quatuor annos hîc vagabatur, quæ alternis diebus epilepſia corripiebatur, alia eſt erratica: alia eſt frequens, ut in Mercatore quodam Egrano, qui ſingulis ferè horæ quadrantibus epilepſia corripiebatur, obſervavi, alia eſt rara, &c.

2. Ratione SUBJECTI: alia fit per primarium cerebri affectum & eſt idiopathica, quando ſc. cauſa antecedens in ipſo cerebro ſtabulatur: *Ranchino tr. de morb. ſub. c. 2.* dicitur humoralis: alia ſympathica, quæ accidit ſine primario cerebri vitio cauſa ex inferioribus ad cerebrum derivata: *eidem* dicitur vaporoſa Idiopathica autem eſt duplex: fit n. vel per protopathiam, vel per devteropathiam; per protopathiam, quando cauſa morbifica in parte affecta ejus vitio generatur, vel etiam immediatè ab extra in eam immittitur. Per devteropathiam fit, quando alterius partis vitio cerebrũ afficitur, translata vel transplantata cauſa ab aliquo loco in cerebrum relicta priore radice, foco & ſeminario, quod contingit vel per *διάδοχην* criticam, vel *μετάςασιν* ſymptomaticam. *Horſt lib. 2. obſ. 10.* Sympathica eſt, quæ ſine ullo præcedente cerebri vitio contingit ob partis alterius morbum. Fit autem vel per epigeneſin, cum cauſa morbifica per venas, arterias vel nervos à priore foco adhuc ſubſiſtente tranſmittitur in cerebrum: vel per ſimplicem communicationem, vel ſimilitudine generis, aut ſocietate operis, vel communione vaſorum. Sympathica contingit vel ob totum vitioſum, vel ob partem: ob totum, quando ſangvis in totius venis eſt corruptus & tetrum vaporem in cerebrum mittit *Capivac. l. 1. pract. c. 16. Crato in conſil. Scholtz 42.* id quod etiam in febribus contingit, & variolis. Pars autem eſt vel interna vel externa. Interna, ut ventriculus *Gal. 5. loc. aff. 5.* lien *Holler. in ſchol. ad c. 16. l. 1. de morb. inter.* hepar, Cor *Marcel. Donat. l. 2. hiſt. med. mirab. c. 4.* Inteſtina *Jul. Cæſar. Claudin. conſult. 64. Quercet. in pharm. dog. c. 7.* uterus, ſive quod fœtus vivus

in

in eo geſtetur *Fernel. l. 5. part. morb. 3.* ſive mortuus *Foreſt. l. 10. obſ. 66. in Schol.* ſive quod ſecundina retenta, ſangvis menſtruus in eo reſtagnet *Foreſt, ibid.* vel jam fluat, ſeu quod ſit imperforatus *Guilh. Fabric. cent. 3. obſ. 60.* Veſica *Heurn. de morb. capit. c. 22.* Teſtes & vaſa ſpermatica *Alzabaravius lib. pract. tr. 1. ſ. 2. c. 34. Domin. Leon. l. art. med. 14. Thom. à Veiga l. 6. loc. aff. com. in c. 5.* Externa pars poteſt eſſe vertex *Fernel. 5. pathol. 3.* labrum ſuperius *Dovynetus l. 3. apolog. c. 2.* articulus humeri, brachium *Favent. c. 11. de med. morb.* Pollex manus *Zacut Luſitan. l. 1. hiſt. 20.* minimus digitus *Holl. l. 1. morb. inter. c. 16. in Schol.* manus dextra *ib.* ſiniſtra *Hechſtetter. decad. 4. caſ. 7.* pes *Trallian l. 1. c. 15.* Sura *Holler. ad c. 16. l. 1.* Coxa *Gattinaria* &c.

3. Ratione CAUSARUM, alia eſt hæreditaria, alia adventitia: alia provenit à cauſa externa, alia ab interna: alius cauſa autecedens eſt humor bilioſus, melancholicus, alius ſangvineus, phlegmaticus, ſeroſus; alia ex ſemine, vermibus, cranio carioſo &c. alia fit cum communicatione materiæ, alia cum communicatione qualitatis ſeu ſpeciei ſpiritualis. Reliquas differentias tanquam minus ad curam utiles, ſponte præterimus.

Reſtant SIGNA. Hæc autem ſunt vel diagnoſtica vel prognoſtica. DIAGNOSTICA vel imminentem affectum denunciant, vel præſentem manifeſtant. IMMINENTIS ſigna ſunt oculorum caligo, ſomnia turbulenta, pavor in ſomno, membrorũ trepidatio, inordinatus lingvæ motus, memoriæ læſio, capitis verſatio, dolor, gravitas, aurium tinnitus, pallor faciei, urina cruda, tenuis *Forſt. l. 10. obſ. 62.* PRÆSENTIS ſigna pulchrè explicat *Aretæus l. 1. c. 5.* & ſunt pathognomonica caſus ſubitaneus, motus corporis concutiens & convulſivus varius, detentio functionum principum: Epiphænomena ſpuma circa os, ſeminis, fecum alvi aut urinę involuntaria excretio, interdum adeſt magna vociferatio eaq; inconcinna, dentium ſtridor, ſonitus cum ſtertore, reſpiratio anguſta & offendens *4. aph. 68.* Et hæc ſunt ſigna legitimæ & exquiſitæ: Spuriæ verò & partialis ſunt mitiora, adeſt enim

interdum partialis tantum convulſio, ſc. capitis, oculorum, manuum, pedum hinc indè discuſſio & alia leviora, quæ ſupra in differentiis dicta. Reliqua ſigna differentiarum ratione GENERIS ex medici obſervatione & ægri relatione facilè pateſcunt.

SIGNA DIAGNOSTICA ratione SUBJECTI.

In IDIOPATHICA adeſt ingens & continuus ferè capitis dolor & gravitas, mentis, ſenſuum & motus ſtupor, inſomnia ſunt turbulenta, præcedit plerunque vertigo tenebricoſa, oculorum caligo, frequens aurium tinnitus, & alia capitis per ſe affecti ſigna adſunt. Paroxyſmus crebrius affligit, ſine ulla ferè mali preſenſione hominem corripit, paroxyſmus eſt longior, cum vehementioribus ſymptomatibus, in partibus etiam inferioribus nullum evidens vitium deprehenditur, quod hujus mali cauſa ſtatui poſſit, nec vapor ante paroxyſmum ad caput aſcendens ſentitur: intervallum eſt impurum, plerunque manet gravitas & oblivio, frequentius circa novilunium & plenilunium invadit, ſpuma in paroxyſmo eſt copioſior, venæ ſub lingva ſunt virides ſecundū *Avicen.* SYMPATHICAM arguunt, ſi cerebri per ſe affecti ſigna abſint, ſi ſc. extra paroxyſmum cerebri actiones non ita vitiantur, ſi pars aliqua inferior præ cæteris vitio laboret, vapor vel aura ante paroxyſmum per continuatas partes in cerebrum aſcendere videatur, cujus etiam impetus incipiens injecto vinculo arctiori cohiberi aut imminui poteſt. Paroxyſmus eſt brevior, ſymptomata etiam non ita vehementia, ob oculos non nulla quaſi ſpectra verſari videntur, ut in ſuffuſionibus incipientibus. In ſpecie ſympathica ratione CORDIS, conjunctam habet ejus palpitationem, tremorem, anxietatem, animi deliquium, pulſum varium &c. Sympathicam ratione VENTRICULI arguunt ejus roſiones, turbationes aut dolores, cardialgia, gravitas aut tenſio circa præcordia, coctio debilis, adſunt ructus, difficilis inediæ tolerantia, præſertim ſi ab ἐυαιϛθησία ventriculi oriatur, præceſſit cogitatio inedia, cumque acceſſio proxima eſt, nauſea, cordis dolor, animi defectio & contractio labii inferioris acci-

cidit: poſt paroxysmum ſequitur vomitus, plerumq; bilioſus aut alius corruptus, quo accedente, paroxysmus etiam ceſſat. Ab INTESTINIS ſi provenit, adſunt eorum tormina, in paroxyſmo magis ventrem dejiciunt: plerumque autem oritur ratione vermium in iis contentorum, quos monſtrant præcedens dentium ſtridor, tremor membrorum, terror & clamor in ſomno ſubitus, narium pruritus & frictio, ſalivæ, præſertim nocturno tempore, ex ore effluxus, facies pallida, mox tamen incaleſcens & rubens, morſus & dolor ventriculi & inteſtinorum, abdominis frequens contrectatio, rugitus & tormina ventris, ejus inſolita durities, atrophia membrorum, tuſſis ſicca, fœtor oris, ſingultus, vermium cum fecibus ejectio. Ex HEPATE ſympathiam monſtrant dolor in dextro latere, adſunt ſigna hepatis affecti vel obſtructi &c. Ex LIENE ſi eſt, declarant habitus corporis melancholicus, præceſſit victus craſſus, excrementitius, in ſiniſtro latere ſenſus gravitatis aut doloris percipitur, conſveta ſangvinis melancholici per hęmorrhoides evacuatio eſt ſuppreſſa, color faciei eſt lividus, præceſſit vel jamdum adeſt morbus melancholicus. Sympathiam ex UTERO deſignant dolor circa uteri regionem in pectine, in utroq; inguine, in dorſo; abdominis crebrò à flatibus fit diſtenſio, reſpiratio difficilis, cordis palpitatio, dolor capitis adeſt, & alia, quæ ſuffocationem uteri ſequi ſolent, conjungitur ſeminis aut menſtruorum, ſecundinarum vel fœtus mortui retentio aut alia ſupra dicta adſunt. Epilepſia ex ſympathia PARTIUM EXTREMARUM cognoſcitur ex affectu illarum partium, ex aura vel vapore adſcendente, quæ nunc cum ſtupore, nunc cum tremore, nunc cum muſculi alicujus cõtractione incipit *Cæſalp. art. med. l. 5. c. 29.* interdum præceſſit vulnus, contuſio, ulcus aut morſus animalis venenati in ea parte *Sen. l. 1. pract. p. 2. c. 31.* dolor item aut tenſio ante paroxysmum percipitur, ſuperinjecta vincula paroxysmum inſtantem vel tollunt, vel minuunt.

Signa CAUSARUM ex propriis indiciis patent; humor pituitoſus cognoſcitur ex facie pallida, ætate puerili, tempe-

ramento frigido & humido, victu tali, anni tempore frigido humido, ſomno profundiore & longiore, crebra expuitione, narium muco copioſo, ingenii ſtupiditate &c. Melancholicus ex antecedente victu craſſo & feculento, mœſtitia, temperamento frigido & ſicco, anni conſtitutione tali, inſomnia adſunt terribilia, ſpuma eſt exigua. Bili plerunque conjunctum eſt delirium: atræ vero furores. Semen continuam facit in venerem propenſionem, illo etiam emiſſo, ceſſat epilepſia *Alzabaravius l. pract. tr. 1. ſ. 2. c. 34.* plerumque effluit in paroxyſmo. In vapore adeſt tinnitus aurium, paroxysmi ſunt leviores, minusque diuturni. Et ne in magnam molem excreſcant theſes, reliquarum differantiarum ſigna conſultò præterimus, & ad prognoſtica tranſimus.

PROGNOSTICA SALUTIS. Epilepſia quidem ex ſe lethalis non eſt, acceſſionum tamen continuatione & ſymptomatum frequentia interdum jugulat, hinc ratione GENERIS omnis periculoſa: periculoſior tamen in qua functiones animales valdè ſunt læſæ, convulſio eſt vehementior, quæ recens continenter & validè cum anxia reſpiratione recrudeſcit, & ſi deſinat in altam quietem, nec à remediis ſternuat æger, ſpumaque abſterſa ſæpius recurrat cum ſtertore, immemorque actorum ſi ſurgat, & ſi ex improviſo concidat: talis enim plerunque eſt lethalis; valdè etiam periculoſa, quæ fit cum tinnitu aurium, clamore, ſtridore dentium, ejectione ſeminis, & vix curatur *Holler. l. 1. de morb. int. c. 15.*

Ratione SUBJECTI: Epilepſia per primarium cerebri affectum deterior, quàm ſympathica: ſic univerſalis, quàm particularis, & quo partes præſtantiores in conſenſum trahuntur. Gravidam epilepſia corripi malum: ſic & infantes vix à nativitate epilepſia correpti rarò evadunt *Foreſt. obſ. 57. l. 10.* in ſenibus verò eveniens rarò curatur *2. aph. 39.* una tamen vel altera hiſtoria extat apud *Trincavell. l. 1. c. 29. Foreſt. l. 10.*

Ratione CAUSARUM. Epilepſia hæreditaria rarò vel nunquam curatur *Holler. l. 1. c. 15.* ex pituita aut humoribus tenuioribus orta facilius, difficilius quæ ex atra bile curatur, ut & ſi oriatur à veneno ſcorpii aut alio, ſeu ob innatam quan-

dam

dam diſpoſitionem pravam; à vermibus difficulter etiam expugnatur, ſalutis tamen ſpes eſt; magnam inanitionem ſequens, plerunque lethalis *Foreſt. l. 10. obſ. 62.*

LONGITUDINIS. Plerunque eſt morbus longus, pręcipuè ſi acceſſiones habet raras. Et ſi nec pubertate, nec menſtruorum proruptione nec puerperio ſolutus fuerit, ad mortem ſæpè comitatur *3. aph. 28.* Ante pubertatem eveniens, curabilis, poſt annum vero 25. invadens, ferè ad mortem usque durat.

MODI EVENTUS. Plerunque cum vitio partis terminatur; hinc pulchrè *Aretæus*: epilepſia quæ cum ætatis flore evaneſcit, abiens qſ. pulchritudinem invidia quadam deformat, aut manum inutilem reddens, aut faciem torquens aut ſenſum aliquem aufferens. Puerulis epilepticis ulcera, ſcabies, puſtulæ prorumpentes, bonum; terminantur enim ejus paroxyſmi *Hip. l. de morb. ſac.* Juvenes tum ætatis mutatione, tum loci & victus liberantur ſi ſc. ab innata intemperie fiat *2. aph. 45.* & in pueris ♀ uſus, in puellis menſtruorum fluxus morbum tollit, ſi ſc. per ſympath. In ſenibus plerunque in æque gravem affectum deſinit, ut in illo, cujus *Trincavel. l. 1. conſ. 29.* meminit, in ſcabiem enim leproſam terminabatur aut, in cœcitatem *Gvil. Fabr. l. 5. obſ. 5.* Epilepſia gravidarum magna ex parte à partu ceſſat *Æginet. l. 3. c. 13.* niſi ſit inveterata. Comitiales magna ex parte fiunt melancholici *3. loc. aff. 7.* unde etiam quartana ſuperveniente liberantur *Gal. l. 6. Epid. in fin.* Acceſſiones ſæpius repetentes & longæ & vehementiores in apoplexiam tranſeunt *Cæſalp. l. 5. art. med. c. 29.*

CURA. Difficilis autem eſt ejus curatio. Et qui Herculeum hunc morbum ſemper profligare novit, æquales cum *Hip.* ob depulſam ex Illyria peſtem honores meretur. Undè *Menecrates*, teſte *Athen. l. 7. dipnoſoph.* celebris hujus morbi medicus, nunquam in publicum, niſi ſuis, quos curaverat, habitu Deorum veſtitis ſtipatus, ipſe vero purpura veſtitus, aurea corona decoratus, crepidatus, ſceptrum denique in manibus gerens, velut alter Jupiter, prodire ſolitus eſt. Eſt

au-

autem hæc curatio vel therapeutica vel prophylactica: hæc cauſam antecedentem, ſeminarium & radices reſpicit, & ne novus paroxyſmus generetur, prohibet: illa ipſum morbi inſultum, paroxyſmum & fructum ſibi curandum proponit.

Paroxyſmus jam jam inſtans ſui inhibitionem, præſens verò remotionem indicat: quod perficitur, ſi cauſa epileptica intercipitur, revellitur, derivatur, evacuatur, diſſipatur, contemperatur, fervor ſpirituum ſedatur, venenoſa & virulenta acrimonia corrigitur, cerebrumque & affectæ partes corroborantur. Perficitur hoc remediis tum internis, tum externis. Inſtans inhibetur, per ligaturas convenientes partium exteriorum, ſi ſc. per conſenſum fit, per exhibitionē *pilulæ de laudan. epileptic. ol. caſt. aut ſuccini* in *aq. approp. pulv.* alicujus *epileptici* per inunctionem narium cum *bals. rut. ſuccin. caſtor.* &c. Præſens vero ſequenti modo tractandus. Æger igitur ſtatim collocetur loco lucido & mediocriter calido, capite aliquantulum elevato, inclametur proprio nomine, hinc dentes conſtricti diducantur, ſpuma abſtergatur & ex ore evellatur, ſacculus *rutæ, ſinapi, pyrethro* & caſtoreo plenus & *oxymel.* intinctus interſeratur, quo ſic aeri liberior pateat ingreſſus, ſpumæ egreſſus, lingvaque ex præciſione non periclitetur. Membra convulſa leniter ad naturalem ſitum reducantur, & in eo abſque tamen violentia, teneantur (in totum verò prohibere motum convulſivum nihil aliud eſt, quam paroxysmi ſolutionem retardare; nam per illam partium concuſſionem materia partes gravans discutitur *Rondel. m. cur. morb. c. 36.*) & inungantur cum tota ſpina *ol. anodynis, nervinis & reſolventibus* vel *aquis ſpecificis*; refrigerata calefiant. Pro revulſione inſtituantur frictiones à ſuperioribus ad inferiora deſcendendo, ligaturæ fortiores dolorificæ, compreſſiones pollicis, evulſiones pilorum, puncturę in partibus præſertim extremis, cucurbitulæ ſcapulis, hypochondriis, poplitibus vel malleolis, aut etiam regioni uteri grandior quædam apponātur, prout ſc. ob hujus vel illius partis conſenſum oritur: plantæ pedum ſale & aceto teran-

rantur, ſinapiſmi iisdem illinantur; peculiari proprietate malignitatem epilepticam allicere dicitur *turtur fœmina* deplumata, ex obſervatione ſingulari *D. Brunneri*, ſi umbilico applicetur, ipſa enim poſtea convulſa moritur. Si malum ab inferiore ventre originem ſumit, injiciantur *clyſteres* acriores revellentes additis ſpecificis, aut talia ſuppoſitoria intrudantur, quibus commodè *crocus metallorum* adjici poteſt. Nonnulli, ut *Celſus*, in paroxyſmo *venam* revulſionis gratia ſecant, quod etiam ſingulari experimento & obſervatione probat *Zac. Luſ. l. 1. hiſt. 26.* in viro plethorico, id quod etiam ſuadet *Valleriol. 3. obſ. 7. Vega l. 3. art. med. c. 12. ſ. 1. Mich. Johan. Paſchalius & ejus Scholiaſtes Pereda l. 1. de cur. morb. c. 8.* Poſtea materia derivetur & evacuetur, lingva & palatum illinantur *theriaca, mithridat. confect. anacard. diacaſtor.* cum *ſinapi, piper. long. ſuc. rutæ* & aliis attrahentibus mixta. Utilia quidem hîc eſſent maſticatoria, ſed præ morbi vehementia illorum uſus non conceditur. Si malum oriatur vitio ventriculi, provocetur vomitus per pennam *ol. amygd. d. irin. oxymel.* intinctam & faucibus immiſſam, quod fieri poteſt in infantibus, qui tamen prius in ventrem dirigendi. In adultioribus verò commoveri poteſt per *aq. bened. ſpecif. hemet. Conradi, croc. metal.* ⊖ ⊕*li; gillam Paracelſi, aq. pœon. aut infuſionis ungulæ alcis* mixtam; ſi verò prohibeatur hæc evacuatio, ſtatim adhibeantur, quæ orificium ventriculi exactè claudunt. Mox quæ cauſam diſcutiunt & attenuant in uſum revocanda. Lingvæ igitur & palato illinantur *balſ. rutæ, ſuccin. extr. rutæ, theriac. mithridat. confect. anacardina,* ⊖ *ſimplex & rutæ* aliorumque antepilepticorum; naribus admoveatur *ruta* præſ. *ſylveſtr.* vel *ſaturea* cum *aceto* fortiſſimo, qua plurimos excitaſſe ſe ſcribit *Foreſt. l. 10. obſ. 58. in Schol.* ejus *ſuccus, oleum* ut & *ſuccini, camphor. balſama eorum, majoran. zedoar. origan. rosmar.* ipſis inſletur pulvis ſternutatorius *ex fl. lil. convall. helleb. caſtor. euphorb.* ⊖ ⊕*li*, qui ſat fortis ſit. Excitentur etiam odores ex *ſuccin. peuced. ſucc. Cyrenaic.* vel *ex rebus fœtidis*, ſi ſit ex utero &c. Auribus indatur *ol. Cinnam. caryo-*

*D* *phyl.*

*phyl. ſalv. majoran. philoſoph. caſtor.* Tempora, aures, vertex, ſutura coronalis ungatur *ol. & balſ. rorismar. lavendul. majoran. ſuccin. de peru, ol. de cran. hum.* Vertici & ſuturæ coronali applicentur *ſacculi, emplaſtra, cataplasmata* ex diſcutientibus cephalicis & ſpecificis. Interim non omittantur ſpecifica interna, quæ etiam pro malignæ & acris qualitatis extinctione faciunt, ut *caſtor. cum oxym. & ſuc. Cyrenaic. miſt. aut miſtura ex theriac. confect. de hyacinth. aq. pœon. ceraſ. nigr.* quæ infantibus commoda, *aq. hirund. picar. epilept. Quercet. Lang. Hartm. ſang. hum. Poppii, theriacal. ſp. fl. tiliæ, ceraſ. nigr. lil. convall. rut. cerebr. hum. Excell. D. Rolfinckii Præceptoris ac Promotoris noſtri filiali obſervantia, & honore ætatem colendi, Hartman. Cran. hum. C. C. ⊖ volat. imprægn. ſp. epilept. ſ. & comp. Plater. ſp. ⊕li volat. ſp. ⊕li comp. arcanum ungul. alc. tinct. corall. ſmaragd. extractio ☽ antepilept. ol. ſuccin. camphor. rutæ, cran. hum. heraclin. ⊕li rubr. extr. caſtor. rut. pœon. ſacch. ſuccin. caſtor. major. rut. magiſter. Cran. hum. ungul. alcis C. C. pulv. antepil. varii Craton. Parentis mei dilect. p. m.* & alia ſexcenta quæ hic recenſere nimis labioriosum tum nimis tædioſum. Valdè etiam commendatur *ἀπόρρητον* illud de *ſangv. nigr. gallinæ*, paroxyſmum enim citò ſedat, & recidivam inhibet. Admirandam in ſiſtendo paroxyſmo virtutem tribuit *Weickardus in thes. pharm.* pingvedini *catti ſylv.* ſi umbilico illinatur. Si verò paroxyſmus eſt vehementior, neque remittit, aliquid de *laudano opiato Paracelſi* aut *antepileptico Hartman.* vel de *oleo buxi* exhiberi poteſt, quo ſic ſpirituum fervor reſtingvatur. Interim nec reliqua membra compatientia negligenda: ob cordis ſympathiam, applicentur extra *epithemata, ſacculi, balſama* cordis regioni & pulſibus, intra vero ſpecificis admiſceantur cordialia: ubi à ventriculo, addenda *ol. menth. Cinnam pœon. aniſi* &c. Sic ubi ab utero primordium ſumſit malum, apponendum emplaſtrum ex *galban. aſafœtida, caſtor.* &c. internis autem admiſceantur ſpecifica uterina, qualis *eſſent. gran. actes*, & fœtida. Ubi à veneno ſumpto vel immiſſo, *alexipharmaca* generalia & ſpecialia adjungenda, habita tamen ſemper ratione ætatis,

tis, ſexus, temperamenti &c. Non inutilia ſunt in ipſo paroxyſmo *amuleta*, qualia ſunt *rad. & ſem. pœon. d. t. coll. ungul. alc. corall. ſmaragdus, jaſpis* &c. collo appenſa.

PROPHYLACTICA CURA ipſam mineram, radicem & cauſam antecedentem reſpicit, & prohibet, ne iterum paroxyſmus generetur. Perficitur hoc ſi humores vitioſi corrigantur, evacuentur, revellantur, eorũ generatio impediatur, partium mittentium & ſuſcipientium prava διάθεσις & imbecillitas emendetur, & μίασμα epilepticum diſcutiatur. Materia harum indicationum ex triplici fonte ſumitur, Chirurgico, pharmacevtico & diætetico.

CHIRURGIA. Primò occurrit venæſectio, quæ præſervationis gratia commodè inſtitui poteſt, præſertim vere *Gal. de cur. rat. per ſang. miſſ. 7.* cui etiam conſentit *Paracelſ. tom. 4. l. 1. de caduco §. 4. tom. 5. fragment. l. 3. paragraph. de caduc.* modò ſangvis etiam in vitio ſit; variat, autem, prout fons mali in hoc vel illo membro hæret. Si jecur fomitem ſubminiſtrat, inſtituatur in dextro brachio, ex liene verò ſi proficiſcatur, in ſiniſtro; commodius hæmorrhoides aperirentur, verùm ne fiſtula inde oriatur, ſummè ſtudendum. Nonnunquam caput ἰδιοπαθηκῶς afficitur, ubi venæ ſublingvales turgidæ apparent, & tunc ſoluta prius plethora univerſi, capiteque roborato, cephalicæ etiam cum frontis & lingvæ venis aperiantur. *Aretæus* in hac etiam ad arteriotomiam pervenit. Ubi malum ſtabulatur in utero, malleolorum venæ tundantur; quanquam in viris etiam ſaphænæ ſectionem valdè comendet *Raſis in mirab auſcult.* & *Zac. Luſ. l. 1. hiſt. 28.* ſic enim ad maximè diſtantes partes fit diverſio, quam etiam ipſa natura in hœmorrhoidibus inſaniæ ſupervenientibus mõſtrat *6. aph. 21.* Imò in epilepſia uterina, ſi à ſangvine retento, etiamſi mulier ſit gravida, tutò poſſe celebrari hanc phlebotomiã, contendit & elegantiſſimis obſervationibus probat *id. l. d. hiſt. 32.* cui etiam aſſentitur *Moxius l. 2. m. m. morb. mul. per ſangv. miſſ. c. 20.* Venæſectionis vicariæ ſunt CUCURBITULÆ ſcarificatæ, ſive partibus ſuperioribus, ſive inferioribus adhi-

bitæ,pro ratione fontis mali & plethoræ; non exiguum emolumentum promittunt, ubi malum in extremo hæret, aut per morſum animalis eſt immiſſum, ſi cum profundiore ſcarificatione, adaptentur, modò partis conditio id non prohibeat, aut ulcuſcula diu aperta ſerventur. Non ſcarificatæ revellunt etiam & diſcutiunt flatus, hinc modò occipitio, modò ſcapulis, nunc hypochondriis, nunc ingvinibus adhibentur. Commodam evacuationem etiam præſtant HIRUDINES locis convenientibus applicatæ, univerſalioribus præmiſſis. FRICTIONES partium extremarum non ſupervacaneæ, *occipitis etiam commendat Heurn. de cap. morb.* ut & vincula dolorifica extremis injecta; potenter enim à parte affecta revellunt; imo paroxyſmum jam jam inſtantem chorda quaſi eliſa ſuffocant. Dropaces etiam laudat *Cælius*. VESICANTIA cõmodè etiam inuſum trahuntur, & in eſſentiali, & in ſympathica. In eſſentiali, deraſis prius capillis toti capiti poſſunt applicari, vel etiam regioni poſt aures, relictis diutius ulcuſculis; ſic enim *Hip.* ſentẽtiæ *l. de morb. ſacr.* ſatisfit, quam operationem in contumaciſſimis etiam capitis morbis efficaciſſimam vidit *Septal. l 6. animadverſ. 55.* In ſympathica verò ulcuſcula, per veſicantia in parte affecta excitata, materiam futuro paroxyſmo ſubtrahunt, virusque epilepticum illîc latens, evocant. Talia ſunt *flammula Jovis, tapſia, ſinapi, lepidium* &c. *Trallian. l. 1. c. 15.* Quod etiam perficiunt CAUTERIA debitè inſtituta & fonticuli indè excitati, ſive ſint actualia, ſive potentialia; ſunt enim materia auxilii ſenſibiliter evacuantis, indicanturq́; à cauſa epilepſiam cauſante & fovente. Unde Itali, præſertim *Florentini*, recẽs natos cauterii admotione quaſi ſalutare ſolent, ut ab epilepticis convulſionibus præſervent. In idiopathica ſupra ſuturam coronalem, ſeu circa concurſum ſagittalis & coronalis, excitentur, nec tantum periculum inde expectandum, modò cautè adminiſtrentur, nec altius imprimantur; tutius tamen nuchæ & occipiti inuri poſſunt; Imò in ipſo etiam paroxyſmo cauteria actualia laudat *Ranchin. tr. de morb.*

*puer.*

*puer. ſ. 2. c. 2.* plurimum præſtat Setaceum, validè enim evacuat à capite: exempla curationum annotavit *Gvil. Fabric.* In eſſentiali multi commendant apertionem cranii per trepanum, *Paracelſ. tom. 5. fragm. l. 3. paragr. de caduc. t. 3. l. 3. paragr. c. 4.* quo ſic fuligines exhalent. Si verò aliundè materia tranſmittatur, ratione partium vel ſupra vel infra renes poſitarum, vel in brachiis vel in femoris interna & tibiæ ſylveſtri parte excitentur, ſervata ſemper rectitudine partiū. De harū uſtionum inſigni utilitate pluribus agit *Zac. Luſ. l. 1. hiſt. 20.* Cautio tamen ſit, ne ulla fiat uſtio aut ſectio, niſi poſt plurimas repetitas purgationes, modò non urgeat morbi vehementia Sic ubi cranii pars eſt corrupta, aut alibi os carioſum epilepſiam fovet, eximendum aut uſtione ſanandum.

PHARMACIA materiam peccantem præparat, univerſaliter & particulariter evacuat, miaſma epilepticum abſumit, membrorum pravam diatheſin corrigit, illaque roborat. Sed antequam hæc in uſum vocentur, alvus primum ſollicitanda, ut à primis viis feces, ipſisque permixta colluvies educatur, quod fieri poteſt *glandibus, clyſteribus*, aut levibus *eccoproticis*, quibus ſtimuli loco *purgantia* in minore doſi poſſunt adjici v. g.

Si adjuncta ſit cacochymia PHLEGMATICA.

℞ elect. ben. lax. ℥ſ.
fecul. pœon.
bryon. an. gr. vj.
Crem ♀ ʒſ.
agaric. rec. trochiſc. ℈j
extr. major. gr iij
ſacchar. q. ſ. M. F. bolus.

℞ ♀ ⊕lat. ℈j
fecul. aron. gr. vij
agaric. trochiſc. ℈j
ſacchar. Cinnam. gr. iij. M.
F. pulvis.

℞ rad. ireos
pœon. an. ʒi.
fol. rutæ p. j.
polii
fl. lil. convall.
tiliæ à pii
agaric. crud. albiſ. ʒj
Coq. om. in ſ. q. aq. fl. til.
Col. ℥iiij adde
Mann. Calabr. ℥j
ſyr. diacarth. ℥ſ.
Ol. fœnic. g ij M. F. Potio.

BILIOSA ſi adſit

℞ eſſent. aloës gr. xvj

℞ pulv. laxat. veget. gr. xv

extr. rhabarb. gr. x
reſ. ſcam. gr. iij
magiſt. Cran. hum. gr. vj
M. F. l. a. Pil. xviij

℞ tinct. rhabarb. ſangv.
fol. ſen. à ℈j
ſyr. viol. ſol. ℥j
ſp. ⊕l. vir. giij. M. F. Hauſtus.

Cryſtall. ♀ ſcammon. g. x
Ol. major. g. j M. F. Pulv.

℞ caſſ. fiſtul. ʒvj
pulv. rhabarb. el. ʒſ
Cryſt. ♀ gr. x
ol. anthos. gj
ſacch. par.
F. l. a. bolus.

In MELANCHOLICA hæc convenirent.

℞ elect. diacathol. ʒvj
extr. fol. ſen. ℈ſ
ſyr. de polypod. ʒſ
aq. Ceraſ. nigr. ℥iſ M.
F Potiuncula

℞. maſſ. pilul. ♀ rear. ℈j.
extr. rad. pœon. gr. vj.
ol. ſuccin. gj. M.
F. pil. xvij.

℞. pulp. prun. damaſc. ʒj.
Crem. ♀ ʒſ.
extr. fol. ſen. ℈ſ.
helleb. nigr. gr. vj.
ſacchar. alb. par. M. F. bolus.

℞ fol. ſen. ſ. ſ. ℥ij
paſſul. mund. & lot. ℥iij
fol. beton.
roriſmar. ã mſ
fl. tiliæ p j
gran. pœon. ʒiſ.
Contunde om. in pulp. injice in vas fictile, & affunde aq. cal. ℥xxx.
M. & ſtatim contege, pone in locum calidum per noctem, poſtea cola & per ſubſidentiam clarefac. doſ. ʒſ. ad ℥v vel vj.

Verùm ſi MISTI eſſent humores, tale conveniret

℞. extr. de 4. reb.
Cryſtall. ♀ an. ℈j.
Mann. Calabr. ʒſ.
diſſolv. in juſculo carnis q. ſ.
adde ſacchar. Cinnam. gr. iij.
M. F. potiuncula.

Et ſi in ventriculo ſaburra vitioſorum humorum ſtabulatur, commodè VOMITORIA exhibentur. Lene eſt ex *jure gallinæ pingvi* cum *ol. amygd. d.* vel *ſuc. raphan. & oxymel.* Validius operatur *diaſar. Fernel. coagul. aſar. manna vomit. Querc. aq. ben. Rulandi, ſyr. vomitorius Hartm. vomitorium Plateri, Conrad.*

Hinc ad vitioſos humores PRÆPARANTIA accedendum, quæ pro humoris & partium affectarum diverſitate varianda ſunt.

In

In cacochymia PITUITOSA utiles ſunt *ſyr. de beton. ſ. & comp. pœon. hyſſop. ſtœchad. fl. lil. convall. abſynth. prim. ver. meliſſ. eupator. oxym. ſ. ſcyll. eſſent. beton. cal. arom. prim. ver. menth. origan.* &c. cum *aq. appropr.*

℞. aq. hirund. ℥vj.
lil. convall. ℥j.
eſſent. rad. pœon. ℈ſ.
cal. arom. gr. vj.
ſyr. ſtœch. arab. ℥ſ.
oxymel. ſcyll. ʒiij.
tinct. ☽ g. vj.
ſacchar. rut. gr. iiij.
M. F. Hauſtus.

℞. fecul. pœon.
ari
ſcyll.
magiſt. ♀ ☽ris an ℈ſ.
⊖ cal. arom. gr. ij.
beton. gr. iiij.
ſacch. Cinnam. gr. iij. M.
detur in charta pro 2 doſib9

℞. conſerv. fl. pœon.
lil. convall.
tiliæ an. ℥j.
rad. eryng. cond. ℥ſ.
eſſent. beton. ʒſ.
extr. zedoar. ℈ſ.
pulv. rad. pœon. ʒj.
ol. majoran. g. iij.
ſp. ⊕li comp. g. viii.
ſyr. de ſtœchad. qſ. M.
F. l. a. Opiat. doſ. magn. caſtan.

BILEM præparant *cephalica frigida, quibus admiſcen. ſyr. acetoſ. ſ. & comp. de cichor. nymph. fragor. ceraſ. acid. granat. berber.* prædictorum *eſſentiæ, tincturæ* &c.

℞. eſſent. acetoſel.
fragor.
plantag. an. ʒj.
aq. nymph.
dentar. an. ℥ij
ſyr. corall. ℥j.
tunic. ℥ſ.
tinct. corall. ʒj M.
doſ. coch. j. vel ij.

℞. magiſt. corall. ʒſ.
perlar. ℈j.
ſuccin. præp. ℈ſ.
Cryſtal. ♀ ʒj.
ol. Citr. g. ij. M.
pro 3 doſibus.

℞. viſc. q. ʒij.
Ceraſ. nigr. n. xv.
berber. p. i.
fl. violar.
nymph.
til. an. p. i.
Coq. om. in ſ. q. aq. ſ.
Col. ℥ iiij. adde
ſyr. de cichor. ʒvj.
violar. ℥ſ.
ſp. ⊕li g. vj.
M. F. Potiuncula.

ME-

MELANCHOLIAM præparant *ſyr. de borrag. bugloſſ. fumar. capill. ♀ ceterach, epithym. de pom. eſſentia* etiam prædictor. &c.

℞. ſyr. fl. tunic.
borrag. an. ℥ſ.
aq. carfunc. ℨij.
ſp. ♀ compoſ. ℈j.
ſol. corall. ℨj.
eſſent. borrag. ℈ij
fraxin.
fumar. an. ℈ſ.
aq. pomor. redol. ℥ijſ.
M. pro duabus doſibus.

℞. conſ. borrag.
bugloſſ. an. ℨij.
Confect. alcherm. ℈j.
eſſent lupul. ℈ſ.
fecul. pœon. gr. vj.
ſacchar. citr. g. iij.
albiſ. par. M.
F. bolus.

℞. ſpec. elect. de gem.
diamoſch. d. a. ℨſ.
Cran. hum. præp. ℈j.
extr. meliſſ. gr. viij.
lign. aloês g. vj.
ſacchar. albiſ. aq. borrag.
ſol. ℥iij.
F. l. a. rotulæ, & illinantur ol. citr.

Humorum præparationem excipit PURGATIO, quæ prius ſit lenior, poſtea fortior; inſtituatur autem per epicraſin, intermiſtis ſc. præparantibus & corroborantibus; plurimum conducit, ſi hæc cura per totum annum continuetur, primo ſingulis ternis vel quaternis diebus purgando, poſtea unaquaque ſeptimana, hinc menſe, tandem vere & autumno: ſic enim morbus futurus præcavetur; prout autem humor abundat, ita purgantia dirigenda ſunt.

In PITUITOSA conveniunt *agaricus ſ. trochiſc. mecchoac. gialap. hermodact. turbith. colocynth.*

℞ extr. pilul. cochiar.
colocynth. an. ℈ſ
cephalic. gr. v
fecul. bryon. g. iv
Ol. Cinnam. gi
ſyr. diacarth. q. ſ.
F. Pilul. num. xviij.
ſuccin, alb. ppt. gr. vj
Ol. anth. g. i
ſacch. alb. par. M.
F. bolus.

℞ agaric. trochiſc.
mecchoac. alb. an. ℈j
trochiſ. alhand. gr. iiij
♀ ⊖ lat. ℈ſ.
Ol. ſuccin. gj M. F. Pulv.

℞ elect. diacarth. ℨij
ſpec. diaturbith. ℈j

℞.

℞. rad. pœon. ℈ij.
eryng.
ſcyll. ppt. an. ℈j.
polii mont. p. j.
agaric. alb. lev. ʒij.
mecchoac. alb.
ſem. cnic. ponder. an. ʒj.
turbith. elect. ℈ij.
fl. anth.
prim. ver. an pj.
ZZ alb. gr. x
ſpic. gr. ix
Coq. om. in ſ. q. aq. beton.
Col. ℥iiiſ adde
elect. de tamarind. ʒiſ.
ſyr. diacarth. ℥ſ. M. F. Potio.

In cauſa BILIOSA conducit *rhabarb. myrobal. citr. cort. frang. ſcammon.* &c.

℞. extract. cholagog. Q. ℈j.
pilul. aur. ℈ſ.
reſ. ſcammon. gr. iiij
magiſt. ☽. gr. iij
Ol. cirt. gj
ſyr. de cichor. c. rhab. q. ſ.
F. Pil. xxiv.

℞ cathart. roſ. ʒiij
fecul. pœon. gvi
Crem. ♀ ℈ſ
ſacch. par. F. Bolus.

℞ ♀ ⊕ lat.
extr. ſcammon. an. ℈ſ
magiſt. ung. alc. gr. vj
ol. aniſi gij
M. F. pulv.

℞ viſc. q. ʒj
ſem. pœon. ʒſ.
fl. ſtœchad. arab. p ij
tiliæ
pœon. an. pi
myrobal. citr ʒiij
rhabarb. opt ʒij
fl. prun. ſylv. ʒiſ.
ſem. aniſi ℈ſ.
Coq. om. in ſ. q. aq. ſ.
Col. ℥iij. adde
ſyr. violar. ſol.
diaſer. an. ℥ſ.
elect. roſ. Meſ. ʒj.
ſacchar. Cinnam. g. iii.
M. F. Potio.

In MELANCHOLIA proſunt *epithymum. ſena, polypodium, helleb. nig.*

℞. pil. ♀ rear. c. ammon. ℈j
extr. helleb. nigr. gr. ix.
cephal. gr. v.
trochiſ. alhand. gr. iiij.
⊖ pœon. gr. iij
ol. ſalv. g. j.
ſyr. fl. til. q. ſ.
M. F. Pil. n. xxv.

℞. pulp. tamarind. ʒiij.
pulv. fol. ſen. ʒj.
Cryſtall. ♀ ℈j.
extr. helleb. nigr. ℈ſ.
magiſt. C.C. gr. vj
ſacch. alb. par. F. bolus.

℞. pulv. ſen. Montag. ℈ij.
♀ ⊕ lat. gr. x.
ol. fœnic. g. ij. M. F. Pulvis.

E ℞.

℞. ſpec. ſen. Gereon, ʒiiſ.
fol. ſen.
follic. ſen. an. ʒij.
fibr. helleb. nigr. ʒj.
fl. borrag.
bugloſſ.
tiliæ an. p. j.

Infunde om. in ſ. q. aq. prim. ver. ſtent per noctem, mane lev. ebulliant
Col. expreſſ. ℥iij adde
elect. diaſen. ʒiij
ſyr. pomor. Sabor. ℥ſ.
aq. Cinnam. ʒiſ.
M. F. Potio.

Ubi humores SEROSI ſunt conjuncti, conferunt *rad. irid. noſtr. aſari, gialap. eſul. gratiol. coccogn. gum. de peru &c.*

℞. reſ. gialap. gr. xvj.
magiſt. gum. gut. gr. iv.
extr. cort. eſul. gr. viij.
⊖ ſuccin. vol. gr. iij.
ol. fœnic. g. ij.
ſyr. diaſer. q. ſ.
F. l. a. pil. n. xxi.

℞. elect. ben. lax. ℥ſ.
fecul. irid. noſtr. ∋ſ.
☿ dulc. gr. vj.
ol. ſuccin. g. ij.
ſacchar. par. F. bolus.

℞. Cran. hum. ppt. gr. viij.
hermodact. ∋j.
reſ. gialap. gr. x.
ſacch. Cinn. g. iij. M. F. pulv.

Et ſi humores ſunt MISTI, etiam mixtæ facultatis medicamenta ſunt præſcribenda, qualia ſunt *ſyr. helleb. Q. oxymel. helleb. Julian.* in forma enim ſyr. magiſtralis optimè conveniunt, e. gr. ſi cacochymia in inferiore ventre reſideat.

℞. rad. cichor.
gramin.
polypod.
pœon. an. ʒij.
ſcyll.
bryon. an. ʒi.
viſc. q. ʒiii
Cort. cappar. ʒiſ.
ſem. pœon. d. t. coll. ʒii.
Caſſ. lign. ʒiſ.
fol. hyſſop.
pol. mon.
cuſcut.

ceterach. an. mj.
fl. tiliæ
lil. conval. a. p. ij
tamarind. integr. ʒvj.
Cryſtall. ♀ ʒj.
gialap. reſ. ℥j.
helleb. nigr. ʒij.
Incid. incidantur & cont. contundantur M. & coquantur in aq. font. ℔ iij ad partis tertiæ conſumptionem
Colaturam funde ſuper
fol. ſen. ſ. ſ. ℥iij

rha-

rhabarb. opt.
agaric. albiſſ. an. ℥i
& macera per noctem, mane
ſemel tantum ebullire ſinito,
& poſtea percola cum aliquali
expreſſione
Colat. adde
mannæ calabr. ℥ii
Cryſtal. ♀ ʒi

M. & diſſolve iterumque coſa
& leniter exhalare ſinito ad
℥viii
tandem admiſce
ſyr. de cichor. c. rhab. ℥iii
diaſer. ℥i
F. ſyr. qui aromatiſ. c.
ſacch. Cinnam. gr. vi.
Citr. gr. iv.
doſ. ℥i ad ℥iſ.

Ad hunc modum concinnari poterunt varia remedia, quæ tamen non indiſcriminatim cuilibet offerenda; nam puero lactanti ejuſmodi minus conveniunt, igitur nutrici potius exhibenda: aut ſint leniora, quale eſt *ſyr. de cichor. c. rhab.* cujus unico uſu multi infantes præſervarunt. *Hermetici* pro purgatione epilepticorum plerunque eligunt ☿ *d.* ☿ *vitæ corrett. mannam* ☿, *ſpecif. purgans Paracelſi.*

Alterantia & purgantia excipiunt DIAPHORETICA, quæ unà ſint ſpecifica, ut ſic obſtructiones expediantur, humores vitioſi quoquo modo præparati exhauriantur, maligni vapores excludantur, & membrorum œconomia depravata in integrum reſtituatur. Horum autem uſus per plures dies continuandus. Inter ſimplicia commendantur *rad. chin. ſcorzon. ſarſæparil. pentaphyll. pœon. dictamn. vincetox. torment. fol. rut. lign. guajac. ſaſſafr. quern. bux. visc. q. CC.* &c. Compoſita ſunt *aq. theriac. comp. cephal. typhor. C. ſp. lign. guajac. visc. q. lign. rhod. ſarſ. paril. card. ben. ſambuc. lil. convall. CC. cran. hum ſang. hum.* ♀, *miſt. ſ. & comp. tinct.* ♄ *diaphor. gelatina C. C. extracta* prædictorum ſimpl. ⊖ *item guajaci vincetox. pœon. ſarſ. paril. volat. C.C.* ♄ *diaphor. bezoart. min. ſ.* ☽ *re,* ☉ *re,* ♁ *aurat. diaphor.* &c. ex quibus varia *decocta, aquæ, miſturæ, pulveres* &c. conninnari poterunt.

Inter plurima tamen præſtat decoctum *ligni guajaci* ad longius tempus uſurpatum; nam incidendo, attenuando cauſam antecedentem reſolvit, detergendo evacuat, & ſudores movendo maſſam ſangvineam defecatam reddit non ſi-

ne corroboratione viſcerum, propter amicam aſtrictoriam facultatem ſibi conjunctam.

℞ lign. guajac. ℥iij
buxi
viſc. q. an. ℥iſ
rad. pœon.
tormentil. an. ʒvj
raſ. CC.
Cran. hum. an. ʒiij
ſem. pœon.
card. ben. an. ʒij
Infundantur om. in aq. ſ. ℔vj, ſtent in digeſtione per horas, XXIV hinc coq. in vaſe clauſo ad unius tertię cõſumptionem ſub finem addendo fl. tiliæ
lil. convall. an. pii
ponantur in loc. frig.
Col. adde
ſyr. fl. pœon.
lil. convall. an. ℥iſ M.
doſ. ℥vj mane, ſudet per hor. dimid. in laconico.
℞ reliq. decoct.
adde rad. ſarſ. paril. ℥j
paſſul. min. ℥jſ
aq. fontan. ℔xvj
Coq. ad ℔x
ſub finem adde
Cinnam. elect. ℥ſ
Coriandr. ppt. ʒiſ. F.
decoctum pro communi potu. Ex fecibus relictis & igne reverberii calcinatis, aq. card. ben. ſal extrahi & purificatus per crebras ſolutiones & coagulationes primo decocto ad majorem efficaciam poteſt addi.
℞. bezoard. min. ☽ris ℈ſ.
Cinnabr. ♁ gr. vi
⊖ C.C. vol. gr. iv M.
F. pulvis.
℞. magiſt. perlar. gr. v.
Cran. hum. gr. vi
♀ aurat. diaph. ℈ſ.
rob. ſambuc. ʒij
ſacch. par. F. bolus.
℞. aq. theriac, cephal. ℥i
miſt. ſ.
ſp. C.C. an. ʒi
lil. convall. ℥iſ.
tinct. ♁ diaphor. ℈i
ſacch. ſuccin. gr. viii.
M. dividatur in tres doſes.

Eundem uſum etiam præſtant DIURETICA, reliquias enim humorum vitioſorum per urinas expellunt. Talia ſunt præter multa diaphoreticorum *rad. fœnicul.* cum aliis aperientibus, *beton. chærefol. ſpica, ſchœnanth.* Inter compoſita *ſunt ſpir.* ⊖ *ſ. & marini,* ♀ *ſatus, tinct.* ♀, *arcan.* ♀ *ſp. bacc. ſambuc. ebul. eſſent. ſambuc. frag. petroſel. fecula petroſel.* ⊖ *ſucci.*

*cini fixum & volatile, pimpinel. geniſt. junip. magiſt. ocul. 69.* ex quibus variæ poſſunt fieri compoſitiones.

℞. fecul. petroſ. gr. x.
magiſt. ocul. 69. gr. vi.
⊖ ſuccin. vol. gr. iij. M.
F. pulvis.

℞ tinct. ♀ ℈i
ſpir. bacc. ſamb.
ebuli an. ʒi
eſſent. chærefol. ℈ſ.
ſacchar. fœnic. gr. iv.

aq. petroſel. ℥iſ.
M. F. potiũcula pro 2 doſib.

℞. rob. veron. ʒii
eſſent. fragor.
petroſel. an. ℈i
magiſt. ſuccin. ℈ſ
ſp. ⊖ mar. g. iiij
ſacchar. par.
F. bolus.

In eorum autem adminiſtratione diligenter advertendum, ne eorum crebriore uſu ſangvis in prægnantibus concitetur, menſes aperiantur, & uteri expultrix moveatur, abortus enim periculum incurrerent.

Magnum etiam levamẽ ſentiunt ægri ex ACIDULARUM uſu, præſertim ſi ſit ſympathica, nec inveterata; obſtructiones enim aperiunt, mineram reſolvunt & educunt, & per ſp. ⊖li volatilem, quo ſcatent, peculiari facultate epilepſiæ contrariantur. THERMÆ etiam in eſſentiali conferunt.

UNIVERSALI evacuatione præmiſſa, particulares rite ſuccedunt. Hæ autem præcipuè reſpiciant partem mandantem ſeu locum cauſæ antecedentis. Si igitur caput per eſſentiam afficitur, expeditur per *errhina, ſternutatoria, apophlegmatiſmos, gargariſmos, maſticatoria.* Si ventriculus eſt in cauſa, juvat *vomitus*, præſertim ſi à chylo corrupto. Si hepar aut lien, eorum *obſtructiones* & feces tollantur. Ubi ab inteſtinis, vermibus ſc. ibidem hærentibus, malum originem ſumit, repurgantur per purgantia *helmintica ex* ☿ præcipuè deſumpta aut ♁, qualis etiam *aq. ex magneſia ſaturn. & cruſta panis Querc.* Uterus verò depuratur per leniora *pharmaca uterina* ſæpius repetita, *& menſes moventia.* Sic veſica per *diuretica.* Extrema commodè liberantur per *veſicatoria, cauteria, fonticulos*, de quibus antea in chirurgia. Semper autem hìc ſpecifica antepileptica addenda. Formulæ videantur paſſim apud practicos.

 Cor-

Corpore ſic evacuato, SPECIFICA & APPROPRIATA in uſum trahenda; in his enim maxima curationis ſpes ſita; hæc tamen ſupradictis etiam addi aut intermediis diebus exhiberi poſſunt. Præcipua ſunt *rad. pæon. d. t. coll. pyreth. eryng bryon. valer. ſylv. dentar. ſcyll. vincetox. palm. Chriſt. acori, artemiſiæ in carbonem verſa, ruta hortenſ. ſylv. polium montanum, verben. ſeptinervia pentaphyl. millefol. fl. pœon. tiliæ lil. convall. anagall. rubr. ſem. pœon. palm. Chriſt. viſc. q. coryl. tiliæ, ſuccin. oſſa hum. Cran. hum. ſecundina ppt. unicornu, ungula alcis, caſtor. turtur fœmina. hirundo tota aut lapides in junioribus inventi, talus ſuillus, veſica apri cum urina in furno exſiccata C.C. coagulum lepor. maſſa vomitu rejecta à pullo equino, hepar aſini, turdi, urſi, ran. virid. caro muſtelæ, cor lupi, leporis, hirundinis, Cicon. vultur. Cervi, perdic. teſticuli apri, urſi, arietis, galli, aſini, lac equinum, aſininum ſtercus pavon. ſecundinæ, lac, cerebrum aſin. fel catuli Coral. rub. cryſtal ſelenit. jaſpis, ſmaragd. chelidon. Cinnabr. nat. ☿ aq. dentar. ceraſ. nigr. lil. convall. calendul. rutæ pentaphyll. tiliæ. pœon alſin. millefol. ſylv. picar. hirund fec. hum. Matthiol. ex minera ſaturn. cruſta panis Querc. epileptica Langij, Hartm. Querc ſp. ⊕li vol. viſ. q. coryl. buxi, C.C. Cran. hum. epilept. puer. Hartm ſangv hum. Paracelſ. ſolutio tinct. corall. ☿, arcanũ ⊕li, eſſentia mumiæ, ſang. hum.* quam propriũ alexipharmacũ *Cl. Deodatus* nũcupat, *cran. hum. ſalviata, ol. ſuccin. cran. hum. ligni heracl. pœon. caſtor. ungul. alcis, elixir pœon. Mynſicht. confect. antepilept. Paracelſ. liquor ☽ virid. ſyr. de nicotiana*(cujus ſingulari uſu plurimos epilepticos ab aliis relictos ſe ſanaſſe gloriatur *Zacut. Luſ l. 1 hiſt. 29*) *extract. cran. hum. C.C. lign. bux. fl. tiliæ, pœon. antepilept. Cl. Deodati, magiſt. corall. ſuccin. C. C. Cran. hum.* ☽, pulveres varii *Marchion. Kolreut. Hartm. &c.* Ex his variæ formulæ effingi poterunt, e.g.

℞. miner. ☿ris
C. C. ⊕lat. an. ℥j
magiſt. cran. hum.
ungul. alc.
fecul. pœon. an. ℈i
ſmaragd. ppt. gr. xvi.
⊖ ſuccin. vol. gr. viii. M.
F. pulv.

℞. extr. pœon. gr. xv
Cran. hum. ℈ſ.
caſtor. gr. iii
magiſt. Lunar. gr. vi

Cin-

Cinnabr. antimon. ℈ſ
ſyr. de nicot. q. ſ.
F. pilul. min. pro 2 doſ.
℞. pulv. marchion. ʒi
ſuccin. ppt. ʒſ
Cran. hum. ppt.
raſ. ung. alcis an. ℈i.
extr. rad. dictamn.
viſc. q. an. gr. x.
ſacch. alb. in aq. ☿al. ſol. ℥iv
Coq. ad deb. conſiſt.
ſub finem adde
Ol. rutæ
ſuccin. an. g. iij
Cubeb. g. ịi
ambr. gryſ. gr. ii
F. l. a. rotulæ, illinantur
ol. Cinnam.
℞. miſt. ſ. ʒvi
ſp. C.C. rectif.
Cran. hum. an. ʒii
ſangv. hum.
aq. aur. Lang.
ſp. ceraſ. nigr.
fl. tiliæ an. ℥ſ.
lign. guajac. ʒii
arcan. ungul. alc. ʒi
tinct. corall. ʒiſ.
lunæ ℈ii
Ol. camphor. g. viii.
ſacchar. ſuccin. ℈ſ

tinct. pœon. ⊖lat. ℥iſ M.
S: Miſtura antepileptica composita.
℞. Cran. hum.
C.C. crud.
ungul. alc.
hirund. exſicc. an. ℥j.
rad. pœon. d. t. col.
tormentil
viſc. q. an. ℥ſ.
lign. guaiac. ℥ii
epat. ran. virid. num. xx.
ſem. pœon. ℥ii
ſcyll. ppt. ʒiſ.
caſtor. ℈ſ
camphor. gr. vi
Incid. incidantur & contundantur & infundantur in
ſp. lil. convall.
ceraſ. nigr. an. ℔iſ
aq. fl. tiliæ
mercurial. an. ℥viii
ſp. ⊖li philoſ. ℥i
Stent in leni balnei calore per d. xiv hinc deſtill. feces reſiduas calcina, ⊖ aq. dentar. extrahe, per crebras ſolutiones & coagulationes purifica, & deſtillato adde & circula per menſem 1.
S. Spiritus antepilepticus.

Interim membra affecta etiam ROBORANDA tum internis, tum externis; Ad CAPITIS corroborationem

℞. conſ. fl. lil. convall. ℥vj
ſalv.
beton. an. ℥ſ
Calam. arom. cond. ʒiij

℞. rad. irid. fl.
cyper. an. ʒi
pœon. ʒſ
fl. lil. convall.

nuc.

nuc. moſch.in Ind.con. ʒij
extr.ceph.major Querc.ʒſ
theriac. Androm. ʒj
ſpec. diambr.
pler. archont. an. ℈ij
raſ. ebor.
pulv. rad. pœon. an.℈ij
Confect. de hyacinth. ʒj
Ol. caryophyll.g.iiii
ſp.⊕li philoſ.g.x
ſyr. fl. pœon. q. ſ
M.F.l. a. Opiata

meliſſ.
roſ. rubr. an.p.ii
caryophyll. ℈i
ſem.pœon.nigr.ʒſ
lign. rhodii
ſaſſafr. an.℈ii
ſuccin. alb.
ſtyr. calam. ʒſ
ambr. gryſ. gr. ii
Incid.& cōt.& F.cū ſynd.rubr.
Cucupha.

Si VENTRICULUS laboret.

℞.ſpec.aromat. caryophyll.℈i
diagalang. ℈j
pulv. rad. pœon.
Corall. ppt.
nuc. moſch.an. ʒſ
Coriand. ppt. ℈j
lign. aloës ℈ſ
ſacchar. roſ. tabul. ℥iſ M.
F. l. a. Tragea

℞. ol. nuc. moſch. expreſ.
balſ. de Peru. an. ʒiſ
Ol. maſtich. ʒij
ladan. pulveriſ. ℈j
Ol. menth.
macis an. gij
roſ. g. iij
extr. pœon. ℈ſ. M.
F. l.a. balſam. ſtomachal.

EPATIS ſi adſit imbecillitas

℞. ſpec. diarrhod. abbat.
de gem. cal. an. ℈ij
extr. calam. arom. gr. viij
Zedoar. g. vj
pœon. gr. iiij
Croc. ♂ aperit. ℈ſ
ſacch. alb. aq. cich. ſol. ℥iij
F. l.a. rot. quæ illin.
Ol. Cinnam.

℞.ſpec.diatr. ſantal.
diacurcum. an.℈ii
Corall. rubr. ppt. ʒſ
ſchænanth. gr. viij
epat. lupin. ʒſ
camphor. gr. iij
aq. agrimon. ℥vj
vin. malvat. ℥ii M.
F. Epithem. hepaticum.

LIEN ubi eſt debilis

℞ aq. ſcorbut. Q. ℥i
ſyr. fl. borrag.
gran. cherm. an. ℥ſ
ſp. naſturt. aq. ʒi

℞. ol. de cappar.
chamomil. an. ℥ſ
empleſtr. ſplen. Sen. ʒii
ſpec. dialac. ʒſ

Con-

| | |
|---|---|
| Confect. alcherm. ʒſ | Ol. abſynth. deſt. g. v. |
| extr. cort. fraxin ℈ſ. M. | Ceræ ℈ſ. M. |
| F. hauſtus per 2 doſibus. | F. linimentum ſpleneticũ. |

UTERUS ubi peccaverit.

| | |
|---|---|
| ℞. ſpec. diamarg. cal. ℈ii | ℞. gum. galban. |
| ſecund. ppt. ʒi | ſagapen. †. ſol. ʒii |
| fecul. bryon. | ladan. ℈ii |
| pœon. an. ℈ſ | benzoin. |
| magiſt. corall. gr. xvi | ſtyrac. cal. |
| ⊖ meliſſ. gr. viii | pulv. matricar. an. ʒi |
| ſacch. cinnam. g. vi | ol. abſynth. q. ſ. |
| F. pulv. pro 3 doſ. | F. l. a. Empl. matricale. |

Externæ partes plerunque externa admittunt, qualia ſunt olea, linimenta, ungventa, emplaſtra, fotus &c. In hac a. remediorũ varietate non promiſcuè quæ offeruntur, in uſum trahenda ſunt, ſed delectus inſtituendus eſt; nam prudẽtis & curantis eſt medici, inquit *Galen. in conſ. pro puer. epil.* medicamentorũ quantitatẽ, qualitatẽ, modũ & occaſiones moderari ſecundũ neceſſitatis indicationes; non enim eodem ſemper modo præſcribenda, nec omni loco aut tempore exhibenda: hæc n. tradita cura generalis eſt, quæ in particulari variat ſecundũ morbi ſpeciẽ, locũ, cauſas, temperamentũ, ætatẽ, ſexũ, anni tempus. Id quòd etiam obſervat *Paracelſ. t. 4. l. 1. de cad. §. 4.* Sic longè aliter tractandus infans quam adoleſcens, vir, adultus; Pauca enim pueris ſufficiunt, cum utpl. ætatis ratione curentur *2. aph. 45*. Præſervantur tamen ab hoc morbo in utero exiſtentes, ſi prægnanti à quarto menſe ad tempus partus ſæpius detur aliquid *aq. vitæ mul.* aut *balſ. embryon.* cum guttis quibusdam *ſp. antepileptici*, aut *pulv. ſpinæ muſtelæ* vivæ detractæ cum *magiſt. perlar. corall.* Recens v. natis, antequam lac ſugant, aut cibum capiant, detur *miſt. ex ol. amygd. d. & ſacch.* hinc etiam pulvis ex *ſterc. vaccæ nigr. calcinato ℈ſ. vel ℈i* pro excrementorum eductione. Balnea peſtea fiant ex decocto *cort. ſalic. rec. Hartm. pract. chym. Stocker. pr. med. p. 16.* valdè commendat *ſyr. de cichor. c. rhab.* propria urina mixtum; hinc etiam *Cl. Sennertus l. 1. pr. p. 2. c. 31. folia ulmi cum urina* propria cocta tanquã cataplasma ventriculo applicat. Utilis

F etiam

etiam eſt *ſyr. fl. pœon. ſp. ⊕li acidulatus. fl. tiliæ, mulſ. ſem. pœon. ſp. antepilepticus puer Hartm.* In reliquis cura præcipuè dirigatur ad nutricem. Sic ubiq; medici dexteritas requiritur, modo conſcientiæ & famæ integritas ipſi ſit propoſita.

Non exiguum etiam fructum promittunt AMULETA: *pœonia* ipſius *Gal. 6. ſimpl.* autoritate celebris: in puero enim epileptico ſui experimentũ fecit. Æqualẽ, ni dicã majorẽ, virtutẽ tribuit *Hartm.* periapto ex virgultis *ſambuci ſuper ſalicem creſcentis*: utrumque autem debito tempore ſit collectũ; Modũ adminiſtrãdi tradit in *praxi chimiatr. p. 39. Viſcus* q. etiam utilis. *Ungula alcis* miros effectus præſtat, duo exempla recẽſet *Lemnius l. 2. de occult. nat. mir. c. 3.* Eosdẽ ſucceſſus pollicetur etiã *ungul. aſin.* &c. Sic *corall. rub ſmaragd. jaſpis & chelidon.* è collo penduli reluctantur morbo. Qua v. vi id præſtẽt, obſcurum: puto tamẽ per effluviũ aliquod ſpirituale cõtingere.

DIÆTA. Rerum non naturalium conveniens ratio inſtituatur, nã & hæc ſola epilepſiæ curationẽ afferre poteſt *2. aph. 45* multosq; unica hac diæta absq; remediis ſe curaſſe ſcribit *Gal. l. de atten. vict.*

AER ſit lucidus & purus, calidus & ſiccus magis & minus, pro ratione temperamẽti ægroti. ſi non natura, arte talis evadat. Vitetur tenebricoſus, nubiloſus, fœtidus, fuliginibus & fumis noxiis ex *gagate, bitumine, C. C.* & aliis quæ peculiariter epilepſiam manifeſtare ſolent, repletus, venti auſtrini, aquilonares, radii lunares. Juvat mutatio de loco in locum, de regione in regionem *2. aph. 45.*

CIBUS & POTUS ſit moderatus: nec enim ſatietas nec inedia, ſi modum exceſſerint, bona. *2. aph. 4.* prandium cœna ſit liberalius. Cibus ſit εὔπεπτος, εὔχυμος, flatuum expers, non varius, nec admodum jurulentus, potius aſſus: præparetur *hyſſopo, thym. puleg. ſerpil. ſalv. majoran. Cinnam. garyoph.* aſt ſalſa, acria, vaporoſa & nidorulenta condimenta ſeponantur, qualia ſunt cepæ, allium, porrum, eruca, raphan. ſinap. Conveniunt carnes pull. gallinac. capon. pipon. perdic. attagen. phaſian. turdor. turturum, avium mont. vervecin. vitulina, lepuſcul. ſeponantur contra carnes anſer. anat. & reliquarum avium paluſt. cervina, ſuilla, caprina, ſa-

li-

lita, infumata. Piſcium uſus ſit rarus & eorum tantum, qui in fluviis rapidioribus degunt, & ſunt ſaxatiles & ſquamoſi. Cõtra paludoſi penitus fugiẽdi, quales ſunt carpiones, anguillæ. Lac & lacticinia non admodum utilia: ova tremula conferunt. Panis ſit optimè fermẽtatus & ſalitus. Inter fructus commendantur cappares, uva paſſa, piſtacia. Juvat in principio menſæ rutam viridem ſumere, in fine v. panem biſcoctũ, trageam ſtomachicam & antepilepticam. Potus ſit parcior, pręſertim vini, quod planè nõ concedendũ, niſi ſit oligophoron, medicatũ, vires imbecilles, ægerq; aſſvetus, talia n. minus nocent *2. aph. 50.* taliq; conſvetudini aliquid concedere jubet *Hip. 1. aph. 17.* Nihil verò magis nocet epilepticis quam merũ *Jan. Damaſc. l. 3. c. 23.* cum partiũ nervoſarum principiũ laboret *Gal. 3. de temp. 2.* ad quos humores crudos defert *Avicen. 2. tertij c. 4.* Præſtat cereviſia benè defecata, non craſſa aut vaporoſa, hydromel medicatum. Et hic victus rurſus pro ætatis, tẽperamenti, loci affecti, cauſæ morbificę &c. ratione variãdꝯ.

SOMNUS & VIGILIÆ ſint moderatiores: utraq; n. ſi modũ excedant malũ *2. aph. 3.* vitetur maximè diurnus & mox à cibo initus ob *καρηβαρίας* metum: inſtituatur capite non nihil elevato.

EXERCITIA non omittantur: ſalutis n. humanæ qſ. baſis & fundamentũ ſunt *Hip. 6. Epid. ſ. 4. t. 22.* & homo edens ſanus eſſe non poteſt, niſi laboret *l. 1. de diæt' num. 1.* undè etiam corpora multo fiunt vegetiora *l. 3. de artic. t. 32.* Sint moderata, & juſto tempore inſtituantur, præſertim vacuo vẽtriculo. Juvant frictiones à ſuperioribus ad inferiores partes deſcendendo: caput ſingulo manè diligenter detergatur. Balnea corpore impuro & repleto nocent, inferiorum tamen partium lotiones ex cephalicis & ſpecificis utiles, quanquã capitis etiã pro roboratione valdè laudet *Crato in conſil. Schol.*

ALVUS ſit ſemper aperta: ſi non natura, arte talis evadat.

VENUS in idiopathica valde nocet; nam *συνουσία ἐστὶ σμικρὰ ἐπιληψία*: in ſympathica v. ex utero & ſemine retento moderata confert, modo licita: nutricibus penitus interdicenda; lac n. odoris gratia in deterius mutatur, tenuius efficitur, menſes citantur, utero concipiunt, unde lac imminuitur, corrumpitur *Jan. Damaſc. l. 3. c. 23.*

Ab

Ab ANIMI perturbationibus liber ſit æger, præſertim ira, triſtitia, terrore & aliis quæ ſuperius in cauſis remotis dicta ſunt: ſtudia à paſtu nocent, & cogitationes à paſtu tutæ non ſunt.

## *COROLLARIA.*

*1. Ut Arteriarum, ſic etiam venarum principium eſt cor.*

*2. Affectus modi ſubſtantiæ diverſi ſunt ab affectibus occultarum qualitatum.*

*3. Non omnia vulnera cerebri, etiam particula ejus abſciſſa, ex neceſſitate lethalia.*

*4. Sangvinis humani adhuc calentis potus & truculentus & parum ad epilepſiæ curationem proficuus.*

*5. Medicamenta præparare à medici dignitate non alienum.*

*6. Ex talco oleum Coſmeticum educi poſſe, ſvadet ratio & experientia.*

---

MACASIO ZWICCAWIENSIUM MEDICO *Feliciſſimo Salutem.*

*SEmina quî deceat morbi exſtirpare caduci,*
*ſemineceſq; Orci faucibus eripere,*
*dum Tu, Pœonij MACASI gloria cœtus*
*diſſeris, aggrederis grande laboris onus.*
*Hinc flos immarceſcibilis TIBI ſurget Honoris,*
*lambetq; ingenuas digna corona comas.*
*Ecce! paramus eam, quæ fulgida tempora cingat,*
*TEq; artemq; tuam fama loquetur anus.*

MACASI

Annus agitur trigeſimus quartus, cum pridiè Nonarũ Julii M. PAULUS MACASIUS in hac Academia pro ſummis privilegiis de ARTHRITIDE theſes defenderet. Ille tot Illuſtrium perſonarum Medicus & Philoſophus ἰσόθεος ὁ νῦν ἐν ἁγίοις lampadis fulgentiſſimæ inſtar TIBI prælucet. Quod hactenùs ſtrenué egiſti, perſequere; & quam Hippocraticæ & Hermeticæ Medicinæ tibi exquiſitam cognitionem comparaſti, experientia confirma. Sic paternæ virtutis & felicitatis admiratores TE redivivo in Parente colent & magnifacient. Hoc ut uberrima larga ſegete eveniat ex animo optat

Gvernerus Rolfinck Phil. Med. D.
Practicæ & Chimiæ P. Publicus,
Facultatis ſuæ Senior.

*F I N I S.*